



*Anf*

73

AVGVSTINI LEYSERI

IN REGIS PÓLONIARVM ET PRINCIPÍS ELECTORIS  
SAXONIS AVLA CONSILIARI, IN ACADEMIA UITEBER-  
GENSI ORDINARI, CONSISTORII ECCLESIASTICI DI-  
RECTORIS, IN TRIBVNALI ET SCABL-  
NATV PRIMI ADSESSORIS

DE

UARIATIONIBVS

ET

RETRACTATIONIBVS

IVRECONSULTORVM

LIBER SINGVLARIS

AB AVCTORE INSIGNITER AVCTVS

RECENSIVT OPVS DENVO EDIDIT ET  
PRAEFATVS EST

GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN.

---

LIPSIAE,

APVD FRIDERICVM MATTHIAM FRISIVM,

CIO IO CCXXXVII.

13.

AUGUSTINI LYSERI

IN REGIS POLONIAE ET RUMENICIS ELEGIES  
SAXONIS AVA CONSILIA IN AACHENNA CISTERCIENSIS  
CENSIS OSIDIMARII CONSTITUTI MCCCLXXXVII D.C.  
REGESTORUM IN TERRAM PESTICAVI.

ITALIA TURMUS AFRICA

AUGUSTINIANUS  
RETRACTATIONIBUS  
VERE CONSUL ORVM

PIPER SINGULARES

AB ALTOLOGE HISCIDITR VAGATA

REGENSAT OLLS DENSIS DEDICAT

TRAVATA EST

COTTLOB VACASIAS INICHEM

DIPMATE

ALYO FEDERICI MATTINIANI RIZIVIA

CG 10 DEKEMBER

UIRO  
*PERILLVSTRI ATQUE EXCEL-*  
*LENTISSIMO*  
**FRIDERICO LVDOUICO**  
**DE HVNEFELDT,**

SERENISSIMO S. R. I. PRINCIPI SCHUARZBURGICO-  
SONDERSHVSANO A CONSILIIS SANCTIORIBVS ET  
SACRI PALATII PRINCIPALIS QUAESTORI.  
CETERA

COMMVNI LITERARVM LITERATORVM.  
QUE MAECENATI OMNI SAECVLORVM COM-  
MEMORATIONE DIGNISSIMO

S. P. D.

GOTTLOB AVGUSTVS IENICHEN.

U I R O

P A R M Y S T R I A T O U E E X C E P  
P E N T I S S I O

F R I D E R I C O L A D O N I C O  
D E H A N F E E L D T

S E R V I S S I M O S E R I F I N C I P I S C H U N V A R S H A R G I C O .  
S O N D E R H A V A N O A C O N S I L I U S S U N C I O R I A V A R E T  
S A C R I P A L A T I T I N C I G I L I U S Q U A S T O R I  
C E T T A R I

C O M M U N I L I T E R A R Y M L I T E R A T O R Y M  
G O E M A C C E N A I I O M I S V E G A D O R Y M C O M  
M E M O R A T I O N E D I O N S I S I M O

S R D

G O T T L O B V A G A E T A S I E N C H E N

metuimusq; ordil and M<sup>N</sup>NT nōmōn dū  
zō hōmp. Cūmūp. dūm i p̄p̄p̄. Amōrōnētōn  
andōn zōdōn dūm dūlōn dūm. Dēm  
M<sup>N</sup>NT dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn  
Z<sup>N</sup>NT dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn  
dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn  
dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn dūlōn

**Q**Ui uel alieni uel sui ingenii monumenta  
magnis atque eximiis uiris consecrant,  
persepe iliberalē, sordidū atque  
seruilem animū suū publicē decla-  
rant. Ego, qui peruersas illas leuissimorum ho-  
minum artes in præstantissimorum uirorum amici-  
tiam sese insinuandi suauiter ridere soleo, nihil  
quicquam, quod illi facere solent, faciam. Ne-  
que, enim, patrocinium *TVVM*, quod ultro  
mibi obtulisti, expeto, neque honores flagito, ne-  
que munera posco, neque nomini *TVO*, quod  
iāndudum immortale est, bac mea epistola ce-  
lebritatem conciliare uolo. Sola uirtute,  
quam in *TE* ueneror, inflammatuſ auiſus ſum,  
**D OMINE, TIBI** inscribere magni  
LEYSERI, quod denuo edidi, opusculum.  
Neque meam in *TE* publicē adloquendo au-  
daciā damnabis, ſi causas accipies, quæ me,

D E D I C A T I O.

ut nomen *TVVM* huic libro præponerem,  
permouerunt. Scripsisti ante annum & quod ex-  
currit, uir natalibus clarus, moribus probus,  
doctrina excellens, in summis honoribus consti-  
tutus ad me hominem ne oculis quidem *TVIS*  
familiarem atque mediocriter doctum literas hu-  
manitatis, officii & benevolentia plenissimas, &  
ut urgerem salutare illud Bibliothecam *LIPE-*  
*NIANAM* edendi institutum, pro admirabili  
*TVA* prudentia, me grauiter hortatus es.  
Uenisti postea *Lipstam*, significasti mibi, raro  
porteutosoque procerum nostri sæculi exemplo,  
aduentum *TVVM*, TEque aduersa uale tudi-  
ne impediri, quo minus ad me ipse accederes, co-  
miter addidisti. Atque quoniam exoptatissimam  
hanc occasionem a fortuna mibi oblatam cupide  
arriperem, atque TE denotc atque submissè  
salutarem, dicere uix possum, aut condignis ex-  
primere uerbis, quam mirifica humanitate me  
exceperis, quam benignè me ad suauissimos ser-  
mones *TVO S* admireris, quam docte, ornate  
solideque de libris nuper euulgatis differueris, ut  
hoc unum per omnem uitam egisse uidereris, &  
quam prolixa denique amoris tenerrimi testifi-  
catione me abeuntem es prosequutus. Neque  
depositisti ab eo tempore generosam atque perno-  
bilem

D E D I C A T I O.

bilem mibi impense fauendi cogitationem; Sed literis sub finem prateriti anni ad me humanissime & honorifcentissime scriptis & Kalendas Ianuarias faustas atque auspicas mibi precatus es, & complura propensæ ac singularis TVAE in me uoluntatis testimonia dedisti. Quæ omnia nisi adeo magna atque illuſtria exiſtimarem, ut a me numquam satis laudari queant, nœ ego homo essem omnium, quotquot sunt, mortalium ingratissimus. Patere ergo, DOMINE, ut hoc grati piique animi erga TE mei monumentum apud posteros extet, TIBI que de me certissime persuade, me in id strenue elaboratum esse, ut in TE amando, obſeruando, uenerando diligentissimum quemque uincam. Laudent alii incredibilem TVAM erga PRINCIPEM TVVM fidem; celebrent illam insignem res arduas, graues atque difficiles celerrime expeditissimeque conficiendi peritiam; seleſſimo elogio ornent incorruptam animi TVI sanctitatem, qua, c. AQUILII GALLI more, ciuibus TVIS quotidie ius dicis; non reticeant ceteras TVAS eximias atque illustres uirtutes; ego uirtutum TVARVM principem TVVM commemorabilem & præclarum erga literas, literatos & me ſingillatim amorem feris  
poſte-

D E D I C A T I O.

postoris tradam. Interest, enim, reipublicæ literarioræ, ut posteri non ignorent HV NEEFELDTIVM, quem nostra ætas prisci æui Mæcenatis iure meritoque adiungat. DEO religiose supplico, ut TE, DOMINE, perfectissima, quæ in hominem cadere potest, felicitate cumulatissimum reddat, omne, quicquid molestiarum, æruminarum atque morborum est, longissime abs TE auerruncet, & suo Numine clementissime efficiat, ut ex Filia castissimis sanctissimisque moribus prædita, unico inclutæ Gentis TVAE fulcimento, quam haud ita pridem Generosissimo POSERNIO, INGENTI NOBILITATIS SAXONICÆ ET AVLAE LEVCOPETRANAE ORNAMENTO fortunatissimis nuptiis collocasti, nepotes pronepotesque uideas, qui exactissimam TVAM imaginem, aureosque mores TVOS referant. Uale O SAECLI DECUS INDELEBILE NOSTRI. Scrib.  
Lipſ. Prid. Kal. Febr. A. R. S.

CICIO CCXXXVII.



LECTO-

# LECTORI

S. P. D.

GOTTLOB AVGUSTVS IENICHEN.

**I**ta comparata sunt omnia LEYSERIANI ingenii monimenta, ut unicuique sese ultro commendent, inusitata quadam legantur cupiditate, & cordatorum atque intelligentiorum ICtorum laudes plausumque ferant. Regnat in illis nativa quædam scribendi facilitas, ordo concinnus, ingenium acre, selectissimus rerum præstantissimarum adparatus, diffusa lectio, & insignis iudicij maturitas. Quid dicam de incredibili Cel. Auctoris erga ueritatem, quam nihil carius, nihil sanctius ipsis est, amore? de mirifica, qua in aliorum sententiis refellendis utitur, modestia? & de perpetua constantique ius suum unicuique tribuendi uoluntate? Nihil ab ineunte, qua Scriptoris personam sibi sumis ill. LEYSERVVS, ætate typis exscribendum curauit, quod tritum, vulgare, proletarium sit, sed nihil protulit, nisi singulare, nouum, ab aliis prætermisum & ad usum quam maxime accommodatum. Adeo, ut LEYSERVVS, ICrus uel ob solam animi probitatem atque integritatem omnibus, si qui futuri sunt, posteris memorandus, eximium illud elogium, quod GREGORIVS MAIANSIVS, ICtus Hispanorum nostra ætate sine controv ersia eloquentissimus doctissimusque JOSEPHO BORRULLIO, Primo iuriis ciuilis in Academia Salmanticensi Antecessori, tribuit, iure meritoque suo quodammodo sibi uindicet. Ex primam itaque modestissimi ICti uerissimas laudes non

LEYSERI  
laudes.

A

m eis

II P R A E F O A T I O.

meis, sed elegantissimis MAIANSII mei uerbis. a) Ingenuo uiros præstantes uidemus plurimos: qui ingenii vim iudicio temperent, admodum paucos: qui doribus hisce studium ardens adiungant, unum aut alterum. Ex numero horum postremorum est AVGVSTINVS LEYSERVUS, qui felici est prædictus ingenio, iudicio acerrimo, diligentia uero tanta, ut alium hominem literarum studio æque deditum numquam uiderim. Fatebitur hec, quicunque legerit EIVS libros, quos quories ego lego, mirum est quantum me capiat, atque delectet, doctrinæ grauitas, copia & electio. His tantis Iurisconsulti paribus accedit cognitio ceterarum facultatum, quæ sunt quasi administræ comitesque iurisprudentiæ. Accedit perfecta latina lingue, (addo & grecæ, hebraicæ, gallicæ, anglicæ, italicæ linguae) intelligentia, qua intimas Iureconsultorum sententias facili negotio detegit, antiquitas scientia, qua uelut quodam lumine obscurissima quæque illustrat, immortale sophismatum odium, quo sine fuso & fallaciis castæ & cordate philosophatur. Accedit denique, omnium, ut uno uerbo dicam, bonarum arrium instruatio, ut homo haberi debeat absolutissimus. Tot uero tamque excellentibus uirtutibus, prob DEVIS immortalis! quam moderate uititur! ut in eo facile possumus animaduertere magnam illius præclaræ uirtutis copiam, quam tam parce hominibus natura concessit, prudentiam. Sed quemadmodum cuncta, quibus reipublicæ literariæ pomœria mirifice amplificauit ill. LEYSERVUS, opera exquisitissima quauis laude digna sunt; sic imprimis aureum illud Meditationum ad Pandectas opus, cui fortunatum, & nostra exspectatione celeriorem finem omnes boni mecum precantur,

a) L. I. Epistolarum p. 4. quæ uenustæ, amoenæ atque perdoctæ epistolæ Valentie 1732. 4. prodierunt, & nunc nostra cura nostrisque sumtibus nitidissime recuduntur.

cantur, præclarissima de *affestationibus ICtorum* commentatio, & pulcerrimus de *variationibus & retraktionibus ICtorum* liber ipsi semipaternam gloriam pepererunt. Mirati sunt viri sapientes, & a præiudicatis opinionibus liberi forte, constantem atque generosum illum animum, quo intrepide atque confidenter veritatem, invidiosum apud plerosque nomen, dixit, & ardens illud & indefessum populares errores, qui diuinam iusti & æqui artem deturpauerant, profligandi studium. Neque defuerunt maleuoli atque nefarii homines, qui immanibus conuictis proscederunt optumum sanctissimumque ICtum, & ingenuam illam, ueram & laudabilem sentiendi libertatem, qua ueteres ICtos, quorum illustres & commemorabiles uirtutes alio loco copiose enarrauimus, imitatus circumspetæ atque prudenter utitur, ipsi uitio probroque duxerunt. Quorum importunas atque iniquas accusations in ea, quam secundæ editioni *Meditationum de affestationibus ICtorum* c) præmisit, præfatione iustis ualidisque armis depulit, ut nunc rubore suffusi conticescant & pulca quiete perfrui sinant virum continuos studiorum labores quotidie magno cum reipublicæ fructu perferentem. Præcipue uarias, graves atque molestas turbas ipsi excitauit is, quem denuo in Opusculi manus TVAS tradimus, AMANTISSIME LECTOR, de uaria de *variationibus & retraktionibus ICtorum* liber. Elabotionibus rauerat illum Helmstadi anno huius saeculi supra decimum & retraktionibus ICtorum fata.

A 2

que

b) In Præfatione, quam NIC. HIER. GUNDLINGII TREBATIO ab iniuriis ueterum atque recentiorum ICtorum liberato Lipsie 1736. 4. edito premisimus. c) Prodiit hæc commentatio ex repetita prælectione Helmstadii 1726. 4.

que omnium protulerat, tum ut prælectionum suarum rationem redderet, tum, ut inconstantiae maculam elueret, quod nunc CAROLINAS de criminibus sanctiones interpretari uellet, quum tamen historiam iuris uniuersi recitationibus suis se illustraturum promiserat. Uix plagulæ madentes typographi officinam deseruerant, quum iurati gloria LEYSERIANAE hostes eum in illo opusculo perstrinxisse collegas suos omnes uanum atque inane rumorem per uniuersam urbem spargerent, & singuli LEYSE RI collegæ singula loca, in quibus se notatos arbitrabantur, designarent. Qua criminatione nihil falsius, nihil umquam fuit impudentius. Præuiderat has maleuolorum uoculas ipse sagacissimi LEYSERVIS ingenii, & §. 9. libri huius ea, quæ reprehenderet, uitia, cum a ICtis Uiteber. gensibus, quorum ordini olim interfuerat, tum a ICtis Helmstadiensisbus, quorum collegio eo tempore adsidebat, longissime abesse disertis uerbis, & iis quidem uerbis professus erat, quibus utrisque ICtis gratum pro beneficiis ab illis acceptis animum prolixè atque pie declarauit. Sed deseruit, si ipsum LEYSERVUM audimus, d) quoque illa tempestas sine ullo ipsius detrimento. Permuoverunt uero sine dubio hæc iniuriosa & scelerata obrectatorum suorum facinora LEYSERVUM, ut omnem denuo edendi hoc opusculum curam cogitationemque abiiceret, & facile euilescere ac perire sineret egregium alioquin & commendabilem librum. Sed quum ego animaduerterem, placuisse ditionis supremæ caueæ ICtis ea, quæ bene sapienterque in hoc libro monuit LEYSERVIS, præterea uiderem, raro inueniri opuscu.

d) in Prefatione *Meditat. de aſſentationibus ICtorum* ed. Helmſt. 1726. præmissa.

opusculum salutariibus præceptionibus & exemplis refer-  
tissimum, & sicuti inueniretur, immodico pretio uenire;  
& fortuna nancisceret libri exemplum; nolui honestam,  
quam ex lectione & relectione tam fructuofissimæ com-  
mentationis ceperam, uoluptatem, morosorum atque au-  
sterorum bibliotaphorum more, aliis inuidere, aut com-  
mittere, ut diutius frustra & magnis cum sumtibus quæra-  
tur tam eximus uiuidi LEYSERIANI ingenii scetus.  
Adii ergo illi LEYSERVM per literas, cumdemque obser-  
uantissime rogaui, ut & eas, quas post priorem editionem  
fecerat, obseruationes beneuole ad me mitteret, & ueniam  
recudendi opusculum liberalissime concederet. Annuit  
uir Musis nostris amicissimus petitioni meæ, & in literis  
XV. Kal. Decembr. anni præteriti humanissime atque ho-  
norificentissime ad me scriptis in hanc sententiam respon-  
dit: *Lucubratiunculam meam de uariationibus & retractatio-*  
*nibus J Ctorum, quam Helmstadian 1713. publice proposui, in ma-*  
*nus tuas incidisse, dignamque tibi, que iterum in lucem protrahar-*  
*atur, uideri, mirifice letor. Omnia arbitrio tuo permitto. Quod*  
*igitur faustum, fortunatum, auspiciatumque salutare &*  
*reipublicæ uniuersæ, cuius salus nobis unice curæ cordique*  
*est, & illustri LEYSERO, & mihi denique ipsi esse iubeat*  
*DEVS immortalis, denuo in lucem prodit absolutissima*  
*hæc de uariationibus & retractationibus J Ctorum Dissertatio*  
*multis accessionibus ab Auëtore locupletata, & nostra qua-*  
*licumque diligentia quam emendatisime & nitidisime ex-*  
*cusa. Qua in re mecum gratias habe bibliopolæ ingeñio-*  
*so atque industrio, FRIDERICO MATTHIAE FRISIO,*  
*qui sumtus præbuit exscribendo huic opusculo, & qui strenue*  
*elaborat, ut quemadmodum de officina COMMELIANA*  
*prædicarunt uiri docti, nullum librum prelo tradat, quem*

A 3

com-

comparasse sibi quemquam penitere queat. Poteram  
heic finem imponere prologo scribendo, nisi paucis adhuc  
de scriptoribus, qui de uariationibus & retractionibus  
tum eruditorum generatim, tum singillatim ICtorum præ-  
ceperunt, agere constituisse, & nisi aliquot exempla ma-  
xime singularia atque extantiora uariationum atque re-  
tractionum ceteris, quæ iam commemorauit magnus  
LEYSERVS, adiungere consultum duxisse. Atque, ut  
de scriptoribus, qui eruditorum palinodiam peculiaribus  
libris tradiderunt, incipiam, primus in scenam prodeat 10.  
GEORGIVS NEVMANNVS, Theologus fama super æ-  
thera notus, qui Dissertationem historico-literariam *de re-  
tradictionibus patrum Uitebergæ* 1685. publice propugnauit,  
& luculentum hoc haud uulgaris doctrinæ suæ specimen  
postea primitiis suis Dissertationum Academicarum, operi  
communi Sapientiorum hominum plausu excepto, edit. Ul-  
teb. 1716. p. III. 172. inseruit. NEVMANNVM excipiat 10.

Scripto-  
res, qui  
de retrac-  
tionib-  
us eru-  
ditorum  
genera-  
tim ege-  
runt.

NEVMAN-  
NVS.

SCHMI-  
DIVS.

Auctoris  
erga B.  
SCHMI-  
DIVM  
pietas.

SCHMIDIVS, Theologus & Philosophus Lipsiensis im-  
mortali memoria dignissimus, cuius singularem, qua me  
semper complexus est, benevolentiam nulla umquam ætas  
conticebat, nulla apud me oblitterabit obliuio. Uolo ita-  
que hoc grati piique erga beatum præceptorem & benefa-  
ctorem meum animi monumentum apud posteros extare,  
& diuis eius manibus soleme & priscum carmen acclamo:  
OSSA QUIETA, PRECOR, TVTA REQUIESCITE  
IN VRNA,  
ET SIT HVMVS CINERI NON ONEROSA  
TVO.

Is

e) Eadem formula OVIDIVS L. III. Amor. Eleg. IX. v. 67. TIBUL-  
LI manibus leuem & sine pondere terram precatus est.

Is inclusi atque celeberrimi vir nominis Disputationem de Palinodia eruditorum summa cum cura elaboratam Lipsiae 1697. e philosophorum cathedra male atque fortiter tuitus est. Sequatur IO. HENR. FEYSTEKINGIUS, Theologus egregia moderatione & ingentibus meritis illustris, qui Palinodium sacram, sive de retractionibus Theologorum in rebus fidei Schediasma Uitebergae 1711. 4. in vulgus emitit, uehementer atque magnopere in Actis Eruditorum Latinis A. 712. p. 237. dilaudatum. De ICtorum variationibus at Scripto- que retractionibus nemo quisquam præter ill. LEYSER res de re- RVM neque melius, neque eruditius differuit. Aliqua, traciatio- quæ hoc pertinent, habet equidem IO. ANDR. FROM- nibus ICtorum MANNVS in Dissertatione de iure mariandi Tubinge 1681. de LEYSERV. fensa; sed illa Dissertatio non ea æquibet scripta est, FROM- qua scribi debebat. Inflammavit tamen LEYSER MANNVS, RIANA diligentia generosum pectus IO. SALOMONIS BRYNQVELLII, ICti primum lenensis, postea Goettin- BRYN- genis præstantissimi, & quod non sine effusissimo acer- QUELLVS. bissimi miceroris sensu addo, amici nostri summi, ut prolu- sionem de retractionibus ueterum ICtorum, quorum fragmen- ta in digestis superflunt, lenæ 1726. 4. publicæ luci exponeret. Quam elegantissimam doctissimamque commentationem, dum plagulam hanc emendamus, beneficio Cel. GOTTLIEB STOLLII, cuius diuinam animi indolem, incomparabilem sa- pientiam atque priscam in amicitia conseruanda integrita- tem numquam satis laudare possumus, accipimus, & tam- cuiacivs. quam gratissimum munuscum incredibili quadam CORDO- uoluptate deosculamur. Præterea IACOBVS CV. NIVS. IACIVS f,) FRANCISCVS MARSIAS GORDONIVS g) MERIL- EDMUNDVS MERILLIVS b), GERARDVS NOOD- NOOD- TIVS TIVS.

f) L. IV. Observationum. g) Prætermisitorum C. XI. in EUER. OT-  
TONIS *Thefauro Iuris Romani* T. II. p. 863. b) L. I. Obseruat. IX.

TIVS i), & EUERARDVS OTTO k) nonnulla haud  
uulgaria de retractationibus ICtorum, pro uastissima, qua

Dicascri-animum suum impleuerant, doctrina adtulerunt. Sed ue-  
bitur eis, reor, ut probent has ueterum & recentiorum ICtorum re-  
qui o-  
tractationes quidam reipublicæ literarie Dictatores uitio-  
mnes in creati, multo minus ut subscriptibant BRVNQUELLII l) sen-  
uniuer-  
sum lite. tentiae, quam hisce verbis exprimit: *Hoc etiam non mini-*  
*mum modestie ICtorum argumentum est, quod rationibus aliorum*  
*homini-  
conuicti sententiam suam mutare ac in contrariam concedere non*  
*num re-  
erubuerint.* Intercedit, enim, tribunus plebis, IO. GOT-  
FRIDVS BÜCHNERVS II) & solempne illud & triste  
nes da-  
ueto occlamat, & retractationes quashiber in se nimirum  
mninant. semper manere uitum, toruo atque aufero uultu pronunciat.

Equidem ego in ea sum sententia, non omnes retractationes  
mereri laudem, quod argumentum docte, ornate atque co-  
piose pertractauit, & spurias aliquas retractationum ICto-  
rum causas commemorauit ill. LEYSERVVS. Adiiciam &  
ego, duce MICHAEL LILIENTHALIO m), cuius ani-  
mis sanitatatem, & propensam erga me uoluntatem publice  
prædico, aliquas retractationum causas. Alii palinodiam  
canunt, ut mortem intentatam aliaque pericula imminentia  
effugiant, alii, ut meliorem lautioremque fortunam nan-  
ciscantur, alii, ut in magnorum uirorum amicitiam se se in-  
sinuent, alii, ut ceteris, qui in eadem opinione uersantur, in-  
uidiam excitant. Nonnulli capropter publice uehiam  
erratorum petunt, & retractationes edunt, ut nomen ali-  
quod

i) in Commentar. ad Leg. Aquil. C. X. k) in uita PAPINIANI  
P. 344. l) in Historia Iuris P. I. C. X. §. 12. p. 105. edit. Amfel.  
1730. ll) in Schediasmate Histor. literar. de uitiorum inter eruditos  
occurrentium Scriptoribus C. II. Sc. I. §. 7. p. 99. m) in Diff. de  
Machianellis in literario §. 14. p. 76. 77. ed. Reg. & Lips. 1703.  
XI. 1703. D. J. I. (a. 1703. p. II. T. in uero uero. 1703. 1703.

quod consequantur, ut singularis modestiæ laudem reportent, ut habeantur pro hominibus ingenuis, & ueritatis amantibus. Aliqui uidentes scripta sua incognita, & illaudata, ut fabula doctorum uirorum fiant, se ipsos, alio ad scito nomine, refellunt, quum nemo alias quisquam eos dignos existimat, cum quibus calamo dimicet. Has & plures alias retractationum causas et si nemo quisquam sua dignabitur suffragatione; nihilominus omnes in uniuersum retractationes neque perspicacissimi LEYSERVVS ingenii, neque sapientissimus LILENTHALIVS, neque aliis bonus cordatusque uir damnat, & damnare eas uelle, næ illud profecto esset hominis impudentis, & perdite perui-cacis. Mirifice prorsus FRANCISCVS MARSIAS GORDONIVS <sup>n)</sup> ad ICtorum uariationes respiciens scribit: Dignitas ICtorum non eo minuitur, quod sententiam aliquando mutauerint. Inferius enim, nihil agunt se ipsis, dum uariant, quia uariare nesciunt indocti, quod literatis hominibus frequenter accidisse nullus ignorat. Superbae, enim, fluttiæ perseuerantia est, semel dictum, qualemcumque sit, ratum fixumque esse uelle. Atque IO. ANDR. FROMMANNVS <sup>o)</sup> uariationem de se nihil illiciti quid habere grauiter decernit. Quæ quum ita sint, & doctissimorum prudentissimorumque hominum consensu comprobentur; ingenui & aperi- ti illi uiri amplissimam laudem merentur, qui sententiis suis non pertinaciter inhærent, sed errores agnitos publice fa-tentur, & opiniones, quas antea strenue defenderunt, me-liora edocet deserunt. Inter hosce ingenuos probosque Retracta-uiros præcipuum quemdam locum merentur iuris nostri tionum auctores, quorum aliquot exempla adferam. Prodeat prisco- ergo rum

<sup>n)</sup> l. c. <sup>o)</sup> l. c. §. 4.

X P R A E F A T I O.

ICtorum ergo in medium MASSVRIVS SABINVS cuius uariatio exempla nem posteritati reliquit DOMITIVS ULPIANVS p) cu- Exem- ius integra uerba recitabimus: Item quod SABINVS ait: plum sa: *Sic cui pars ad posita non est, excutiamus: duos ex quadribus  
BINI. heredes scriptis: tertium sine parte: quod assi deest, feret: hoc  
& LABEO.* Unde idem tractat, si duos ex undecim, duos sine parte scripsit, mox unus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiae- rit, utrum omnibus seminicia, an ad solum sine parte scriptum per- IVLIANI. timeat & uariat. Accedimus ad SALUIVM IVLIANVM, cuius uariationem, idem, quem modo excitauimus, ULP- PIANVS q) seruauit. En ipsa ULPIANI uerba: *Si ser- uis uulneratus moriſere poſtea ruina, uel naufragio, uel alio iectu maturius perierit, de occiſo agi non poſſe, sed quasi de uulnera- ro. Sed si manumifſus alienatus ex uulnere periti, quaſi de occi- ſo agi poſſe,* IVLIANVS ait. Hec ita tam uarie &c. ULP- PII MARCELLI uariationem idem, cuius iam bis men- MARCEL- tationem fecimus, ULPIANVS r) indicauit. Neque ipse II. ULPIANVS s) dubitauit se retractare. Atque IVLIVS ULPIANI. PAVLVS t) se ABVRNII UALENTIS lectione ad aliam PAVLIS, senten-

p) L. VII. ad SABINVM, f. l. 17. de hered, insit. q) L. XVIII. ad SABINVM, f. l. 15. §. I. ad L. Aquil, r) L. IV. ad Editum f. l. 7. §. pen. de paciis. s) L. V. Fideicommiss, f. l. 92. de Condit. & Demonſtr. t) L. II. ad UITELLIVM f. l. 78. §. pen. de te- gat. III. Addunt plerique ICtorum veteribus, qui sententiam suam mutarunt, UOLVSIVM MAECIANVM, cuius retractationis ex d. 17. de iure patronatus exemplum adferunt. Sed illud, quod LEYSERVS §. 35. libri huius annotavit, Imperatores M. AN- TONINVM PHILOSOPHVM & AELIVM UERVM se ipſos in hac lege retractasse, video, quod illi uident, ego neque lynceis oculis peruideo. Ceterum de hisce veterum ICtorum retracta- tionibus egregie atque solide egit, quem supra iam laudauimus, B. ERVNQUELLIVS.



sententiam amplectendam pertractum fuisse disertis uerbis  
fatetur.

Quia in re nihil fecerunt a boni ac cordati uiri officio Exem-  
alienum ICTI nostri. Ipse M. TVLLIUS CICERO, u) diplum ua-  
fertissimum ille ROMVLI nepotum, non putauit famæ in- riationis  
constantiam sibi pertimescendam, si quibusdam in senten- CICERO-  
tiis paulum se immutasset. M. FABIVS QUINCTI- NIS.  
LIANVS x), magnus ille magister eloquentiae. y) Ipse QUINCTI-  
me, inquit, paulum in alia, quam prius habui, opinione nunc esse LIANI.  
confiteor, & fortasse tutissimum erat, fame modo studenti, nihil ex-  
eo mutare, quod multis annis non sensisse modo, uerum etiam ad-  
probassim. Sed non sustineo esse mibi conscius dissimulanti in eo  
præseruum opere, quod ad honorum iuuenum aliquam utilitatem  
componimus, in illa parte iudicii mei. Nam & HIPPOCRATIS.  
TES clarus arte Medicus uidetur honestissime fecisse, qui quos- CRATIS.  
dam errores, ne posteri errarent, confessus est. Inter recen- Exem-  
tiores ICTOS aliquot exempla etiam occurrunt eorum, qui pluri-  
errores suos agnouerunt, & se suaque correxerunt. UDAL- centio-  
RICVS ZASIVS ad l. 15 de Iurisd. primo Docttoratus an- rum Idio-  
no, se in eius explicatione errasse generosa confessione scri- rum.  
bit. z) IACOBVS CVIACIVS, si OTTONEM a) audimus, ZASII.  
plus semel scriptorum suorum Censor est, atque erroris ue- CVIACIL.  
niam se prolixe petiturum pollicetur, si ab altera parte ue-

B 2

ri.

a) L. I. epist. ad Familares Ep. IX. conf. QUINCTILIANVM mox  
allegando loco. x) L. III. Inst. C. VI. conf. EUREK. OTTO-  
NEM IN PAPINIANO p. 350. & BRUNQUELLIVM c. 4. §. 3.  
p. 6. y) Sic uocatur QUINCTILIANVS ab ISAACO CASAV-  
BONO Commentar. ad PERSII Satyram I. z) EURARDVS  
OTTO c. I. p. 351. a) c. I. h. CVIACIL L. II. obseru. Q. ult.  
L. V. C. XXXVIII. l. IX. C. V. & LEYSERVM §. 41. p. 47.

ritas stare uideatur. Sexagiata & nouem eius uariationes a MERILLIO sunt obseruatae. GEORGII ADAMI STRVII, STRVII, lenensium ICti celeberrimi, binas uariationes commemorat Theologus pietate & doctrina commendabilis, IO. SCHMIDIVS in elaboratissima de Palinodia eruditorum Dissertatione. b) In Syntagmate suo iuris ciuilis Exerc. XXI. th. 37. in priori editione posuit: quod is, qui se obtulerit deposito, de leuissima quaque culpa teneatur. In altera, quod is, qui se obtulit deposito, saltem leuem culpam, & insinu studiam praestare teneatur. Exercit. XXXIII. th. 29. afferit, quod per Constat. Electoral. Sax. P. III. C. VIII. Auus & Ania exclusi sunt, ita ut ipsis papillari substitutio legitima adimi possit. In posteriore editione, quod auus & ania per istam constitutionem non excludantur, affirmat. Memorabile prorsus est IO. GAE. TAC. PVGAE, primarii in Academia Salmanticensi Antecessoris, exemplum, quod nostris hominibus ad sequenda tantam que eximii ICti uestigia serio atque ex animo commendo.

Ser.

b) §. 40. Reprehendit quoque B. SCHMIDIVS §. 38. & 39. leuitatem HELFRICI ULR. HVNNII, & CPH. BEOLDI, qui fidem Eungelicam turpiter deferuerunt, & commodorum suorum augendorum caula ad Pontificios transferunt. Exempla digna, qua BACHOUIJ & BALDVINI, qua §. 29. commemo rauit LEYSERVS, adiiciuntur. Quibus addimus HVBERTVM GIPHANIVM, cuius intolerabilem aquaritiam viuis coloribus depinxit GUNDLINGIVS in Otis T. I. C. V. §. 8. n. o. p. 241. GIPHANIVS war ein Geithaß, der ob er gleich 2500, Ducaten reich ware, nichts destoweniger unter dem Dache wohnete, und Knoblauch aße, und der sich nimmermehr würde dazu begben haben, wenn er nicht zu Ingolstadt eine bessere Pfünde gefunden, und die geheimbe Raths-Stelle bey Kayser & v. DOLPH dem II. mehr eingetragen hätte.

Seruauit tanti viri memoriam Hispanæ gentis ornamen-  
tum præcipuum, MAIANSIVS c) meus, cuius uerba heic  
adponam: *Quicumque attente legerit IO. PVGAE opera,*  
*facile animaduertet summum eius erga ueritatem amorem.* Sane  
ingenue ac generose ita scribit: d) Nec me pudet, neque pu-  
debit umquam PAPINIANI exemplo in l. 6. §. 1. cum l.  
sequ. de seru. export. si qui forsitan errores exciderint, ueritate  
comperta retrahantur. *Quoquo autem modo se alii gerant, ue-*  
*ritatis amorem sepe PVGA nostrar comprobauit Retractioni-*  
*bus suis, quas heic adnotare operæ premium est.* Que ille scri-  
psit Tract. XII. C. I. n. 29 retractauit Tract. XVI. C. I. n. 22.  
*Quæ in Tract. XII. C. I. n. 94 retractauit Tract. XV. C. I. n. 8.*  
A sententia, quam docuit, Tract. XIII. C. I. n. 10. recepsit Tract.  
XVII. C. I. n. 20. Ab opinione, quam propugnauit Tract.  
XVIII. C. II. n. 32. discessit Tract. XIX. C. III. n. 23. Que  
docuit Tract. XIX. C. I. n. 33. retractauit eodem Tractatu C.  
IV. n. 29. *Quæ dixit in eodem C. IV. n. 19. retractauit Tract.*  
XX. C. II. n. 34. *Quæ afferuit Tract. XX. C. II. n. 22. indicta*  
uoluit eod. Tract. C. IV. n. 10. Neque hec fuit inconstans,  
sed constantissimus ueritatis amor. Non poterat PVGA se  
maioresse, nisi sua retractando. Scriptis PVGA adolescentis,  
iuuenis, vir, senex, quibus etatibus accrescente in dies iudicio &  
eruditio, par sibi semper esse non potuit. Nihil proficit, qui  
meliora in dies non discit, & licet eadem quis semper sciret, non  
semper scriberet eodem modo, animo atque memoria alter atque

B 3

aliter

c) Utam celeberrimi huius Icti præmisit MAIANSIVS illius Tractatus Academicis, inseruit quoque eam extero epistolarum o-  
peri L. VI. p. 335. sqq. Quæ hoc pertinent, inueniuntur p. 346.

d) Tract. XIX. C. IV. n. 29.

aliter affectis. Claudat bonorum atque ingenuorum hominum uirorum, qui ueteres & antiquas suas opiniones ueritate convicti repudiarunt, agmen ipse ill. LEYSERVUS, cuius retractionis bina exempla memorabo. Priore retractione uidi nihil prudentius, nihil magno LEYSERO honorificentius. Scriperat LEYSERVUS: Doctores iuris præcedere consules ciuitatum municipalium, tametsi horum iurisdictioni subiecti uiuant. Hoc ægretulerat curia Helmstadiensis, & legatos miserat ad ANDREAM HOMBORGIVM, ordinis ICtorum in Academia Iulia tunc præsidem, qui injuriam uniuersæ prouinciae ciuitatibus factam referrent, & haud obscure, se non amplius ad ICtorum ordinem acta miseros esse, minitarentur. Promittit HOMBORGIVS, laetus tam fortunatam occasionem ipsi oblatam esse nocendi LEYSERO, se in ordinem redacturum LEYSERVM, effecturumque, ut propediem publice deprecatur. Conuocato Collegarum Senatu, & reattentissime deliberata, mittit ad LEYSERVM iudicium scribam, qui, quemadmodum LEYSERVUS ait, acriter cum illo expostulauit. Respondit LEYSERVUS: agnoscere se æquitatem expostulationis, & propediem publice deprecaturum esse. Seruauit promissa LEYSERVUS, & post octo dierum spatium elapsum hisce uerbis æternitate dignissimis, suum, quem alii ipsi obiciebant, errorem emendauit; e) Obiurgatus fui, quod doctorum dignitatem consulum dignitati generaliter preponuerim, nec exemerim terras Brunsvicenses, in quibus diuersum ius

e) confer. LEYSERI prefationem Comment. de affestationibus ICtorum edit. Helmst. 1726. premillam, & Medit. ad Pand. Spec. H. p. 20.

ius obtinere perhibetur. Ego, qua sum facilitate, libenter errorem fatebor, ueniamque petam, at ea lēge, ut ignoroscatur etiam Diuo AVGVSTO, Brunswicensium principi, qui ius istud mecum ignorauit, atque in constitutione desponsalium, nuptiarum, baptisni & funeralium solemnibus omnes sibi subiectos in tres ordines diuisit, & in primo Doctores cum Licentiatis, in secundo Consules aliquoties collocauit. Alterum retractationis LEYSE RI exemplum quoque prudentiae plenissimum est. Quod ipsius verbis narrabo. <sup>f)</sup> Suppedet fere hanc scribentem, ac quod nunquam ante contigit, sententiam iterum mutantem. Si eruent illi tribunali Hispanico, quod Inquisitionem vocauit, subfensem, poterat relapsus adpellari. Scilicet in specimine CCXCI. de sponsalibus inter consanguineos & adfines Med. I. ingenuo fas-  
sus sum me olim ICtorum Uitebergensum ac Lipsiensum senten-  
tiā, quod prohibitiō iuris diuini ad similes gradus extendenda  
nec ad personas in eo recensitas restrīgenda sit, probasse, ac diu,  
quamvis in ordinem dissidentium ICtorum Helmstadiensum  
cooptatum, retinuisse, sed tandem deseruisse, atque LVTHERO,  
ac maiori Theologorum & ICtorum Germanorum parti, qui pro-  
hibitionem iuris diuini ad uerba & personas restrīgunt, adsen-  
sisse. Reuocato in patriam, quum multa in mentem uenirent, quae  
me a reditu absterrere poterant, hoc etiam scrupulū aliquem in-  
iecit, quod, LVTHERVM ac ICtos Helmstadienses recte senti-  
re, dixisem, & adhuc firmissime crederem, necessitatē tamen mihi  
impositum iri, contrariam illis opinionem respondendo ac docen-  
do tuendi, praeuiderem. Diu hic scrupulus animo inbēsit, sed prūns  
tamen excussus est. Aperit postea rationes, quae eum ad nu-  
ptias in gradu implicitē prohibito contractas damnandas  
permouerunt, & responsum nomine ICtorum Uitebergen-  
sum

<sup>f)</sup> In Diff. de Incestu §. I, Vitr. 1736. habita.

sium abs se consecutum subiicit. Plura Tecum colloquerter AMICISSIME LECTOR, nisi frenum mihi iniiceret  
 AELII SPARTIANI g) sapientissimum monitum: Non  
 debet prologus enorimior esse, quam fabula. Defino igitur, &  
 religiose atque suppliciter DEVVM immortalem precor, ut  
 numquam non excitet uiros ferreos atque constantes, qui  
 ingenue, candide atque libere ueritatem proferant, popu-  
 lares errores, ut ex omnibus scientiis, sic praeterim ex iuri-  
 prudentia nostra felicissime proflicant, nullas molestias, in-  
 iurias, minas perditissimorum sceleratissimorumque homi-  
 num, quibus ueritas sudes in oculis est, pertimescant, &  
 pernabilem & generosum hunc erga ueritatem amorem  
 non prius, quam animam ipsam, ponant. b) Scrib. Lipsiae  
 III. Kal. Febr. A. R. S. CIOCCXXXVII.

g) in vita AELII UERI C. I. b) Non temperare mihi possum,  
 quin præclara ULRICI HVBERI in Eunomia ad l. 7. deseru, ex-  
 port. verba adhuc excerpam: Utinam similiis candor inesset seculi  
 nostri eruditis, ut, si PAPINIANVM imitari non sustinerent, quod  
 nimis procul habent, eruditos alios religioni non ducent cœvagèv rā  
 omœice ueritatis causa sua dicta retractare, non insectarentur.



anidat. DE TAN. 1. 2. vñqnd ab INO Occasio



I.

### Occasio Scripti.

**Q**UAM ante aliquod tempus ornatissimi adolescentes, quibus familiarius utor, me percontarentur, cuiusmodi labores publicos post finitam Institutionum IVSTINIANAEARVM interpretationem esse suscepturnus, cum quidem, me historiam iuris uniuersi explicaturum, fontesque & auctores praecipuos, ex quibus solida iurisprudentia haurienda sit, indicaturum esse, respondi. Plerisque consilium istud meum placuisse, animaduerti. Et fuerunt subinde, qui monerent, ne paterer, me ab illo abduci, sed fidem datam liberarem. Quibus ego, facturum me, quod dixisse, sancte promisi. Hi itaque maximopere mirabuntur, me nuper in publico scripto, quo cum ceteris academiae nostrarae Patribus scholas per futuram aetatem habendas indicaui, mutasse sententiam, nullaque historiae iuris mentione facta, CAROLINAS de criminibus eorumque poenies leges proposuisse, atque illarum publicam explicationem promisise. Scio etiam, acculare nonnullos levitatem meam & conqueri de fide uiolata. Sed conquiescent facile, quum rationes accipient, quibus inductus a proposito receperim. Aperiam itaque illas breuiter. Primo scilicet fas esse putavi, ut statutis moribusque recipis obtemperarem, quibus quartus in ordine Iureconsultorum post Institutiones IVSTINIANEAS, CAROLINAS sanctiones interpretari iubetur. Etsi, enim, salutem & utilitatem studiosae iumentutis

A

fupre-

supremam legem nostram esse, probe sciam, nec peccare me existimem, si ea, quae a maioribus pro ratione & methodo priscorum temporum constituta sunt, ubi aliud melius opportuniusque appareret, tam superstitione non obseruem; malui tamen, ne audacior uiderer, prima uice praescriptum feruare, nec quidquam ex eo immutare. Postquam autem femei regulae huic satisfeci, ubi deinde, posse me alia, eaque commodiore ua, optumis commilitonibus seruire, & desideria illorum implere, animaduertam, mihi ipsisque aliquid indulgebo. Magnum porro apud me pondus habuerunt preces eorum, qui amplio satis numero me adierunt, atque, ut doctrinam potius de deliciis tradicerem, summo studio flagitarunt. His utique prae reliquis satisficiendum erat, praefertim, quam impositum mihi muuuis ipsumque professionis, quam sustineo, nomen idem pofcere uideatur. Accedit denique, quod coniunctissimus quidam Collega aliquot mensas publice explicandae historiae iuris ciuilis impenderit, magnamque adeo eius, quod ipse destinaueram tradere, partem paoecuparit. Distuli igitur promisi mei execuptionem in tempus commodius, arque nunc adgredior doctrinam de deliciis eorumque poenis, ad CAROLINAS legis ductum. Quoniam uero, inconstante me hac in re fuisse, negare nequeo, atque tamen necesse est, maculam, qua me fortassis aliqui adspersent, eluere, constitui ea, que de inconstancia Iureconsultorum commentatus sum, edere & ostendere, an & quoisque Iureconsultis liceat sententiam suam mutare.

II.  
Permissum est uiro prudenti, atque etiam ICto,  
sententiam mutare.

Non peccare eos, nec leuitatis notam incurre, qui meliora edocet a prisca, quam amplexi erant, opinione recedunt, nonnamque & saniores amplectuntur, manifestum est. Laudari potius debet candor ille, quo quis ingenue errores, in quibus haesit, satetur, nec alios auctoritate sua in eosdem abripi patitur. Magni profectio animi est, contemnere gloriolas, quam obstinata in priori re sententia mansio apud imperitum vulgus parit, & ridere uoculas eorum, quibus huiusmodi retractationes ignominiae uidentur.

Aium

Aiunt hi quidem, viri constantis uereque prudentis officium esse optumum non nisi probe consideratis perspectisque omnibus eligere, id uero, quod semel elegeris, fortiter tueri. Is itaque, si ipsos audias, imprudentiam suam & inconsiderantiam fateri uidetur, qui, errasse se olim, atque nunc demum, quid uerum sit, cognouisse, dicit. Cur, enim, si ab initio omnia probe consideras, id non statim perspicere potuisset. Imprimis autem Iureconsultos huiusmodi leuitatem dedecet autumant, quorum uoluntas, si IUSTINIANVS in pr. I. de Iustitia & iure uerum dicit, constans & perpetua, jus uero secundum L. 2. de Iuris & facti ignor. certum & finitum esse debet. Uerum quum homines simus, ne quid queso humani a nobis alienum putemus. Eximum esse rationis & intelligentiae lumen, quo Deus nos exornauit, non nego. At perfectum non est, sed multa adhuc caligine offusum. Eam omnino dispellere, supra uires humanas est. At temperari & dilucidari aliquantulum potest. Hoc tamen non una conseruare vice sit. Integra aetas nostra laborando hac in re absumitur. Singuli dies aliquid superaddunt, quod ante ignorauimus. Uno intuitu cuncta, quae circumstant, complecti nec philosophus exercitatissimus potest. Cedere ergo ueritati debet, si ea postea demum appareat. Imprimis autem uitio uertendum non est, si quis aetate prouectus ea, quae iuuenis scripsit, emendet. Nam, ut eleganter ACCIUS apud GELLIUM Noctibus Atticis Lib. XII. C. 2. inquit, quod in pomis est, itidem esse aiunt in ingeniis. Quae dura & acerba nascuntur, post sunt mitia & iucunda. Sed quae gignuntur statim uicta & mollia, atque in principio sunt uiida, non matura mox sunt, sed patria. Relinquendum igitur uisum est in ingenio, quod dies atque aetas mitiscet. Neque Iureconsultis hac in parte aliiquid praeceteris tribuendum est. Habeant illi licet constante perpetuanique voluntatem suum cuique tribuendi. Intellectus certe in illis non diuinus est, sed, ut in reliquis hominibus, multis tenebris involutus, quae maximo labore, nec tam plene, discutiuntur. Et quod ad certitudinem firmitatemque iuris attinet, ea profecto tanta non est, ut non infinita dubia, quae animum saepe in diuersas partes trahunt, supersint. Uide saltem L. 202. de Regulis Iuris.

## III.

## Exemplum Philosophorum.

Eo minus autem Iureconsultis in retractationibus suis erubescendum est, quo frequentius eas ab aliis eruditis, qui singularis constantiae laudem affectant, fieri uidemus. Exempla Philosophorum, qui tamen, ut CICERO ait, non ex singulis uocibus, sed ex perpetuitate & constantia spectandi sunt, asserre nostri non est instituti. Sed unum commemorabo, quod in praesens succurrit. CICEROI aliquando copiose in *quinto Tusculanarum quaestionum libro* de uirtute differenti & pro ZENONE contra Peripateticos omne praefidium ad beatem uiuendum in ea positum esse afferenti, is, cum que colloquutus fuerat, leuitatem obicierebat; quod hos Philosophos, inter quos tamen olim in *quarto de Finibus nihil praeter uerborum nouitatem interest statuerat*, nunc, uera a se in uicem dissentire, affirmarerat. Tum uero CICERO subiratus & offendus aliquantulum: *Tu quidem, ait, tabellis obsignatis agis mecum, & testificaris, quid dixerim aliquando aut scripsierim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant. Nos in diem uiuimus: quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Itaque soli sumus liberi.*

## IV.

## Exemplum Theologorum.

Maior adhuc Theologorum grauitas est, magisque eos secundum *Clementinam I. de Renuntiatione variatio & inconstantia dedecet*. Sed & illi tamen mutare sententiam atque se ipsos retractare non dubitant. Noti sunt AURELII AUGUSTINI *Retractionum libri*, quorum praefatio elegans imprimis est, legique meretur. Ad cuius exemplum Pius II. Pontifex Maximus in Diplomate ad Universitatem Scholae Colonensis misso atque Uenetiis anno 1564. edito ea, quae iuuenis scripsérat, retractauit. Cetera Theologorum exempla egregie, ut sòlet, persequitur JO. HENRICUS FEUSTKINGIUS in *Palinodia sacra seu schediasmate de Retractionibus Theologorum in rebus fidei*. Unum heic adiiciam maxime singulare, quod a FEUSTKINGIO, SCHMIDIO & NEUMANNO, qui ambo de *Retractionibus eruditorum* scriperunt, omis-

sum

sum animaduerto, ubi Theologi Uitebergenses, LUTHERVS, IO-  
NAS, MELANCHTHON & SPALATINUS, a Iureconsultis melius e-  
dotti, sententiam suam, quam plurimis scriptis afferuerant, reuoca-  
runt. Docuerant illi semper, Caesari non esse resistendum, & ex-  
stat quoque LUTHERI hac de re libellus. Quum autem Iurecon-  
sulti ante, quam foedus Smalcaldiae iniretur, super eadem re in con-  
silium adhibiti ostenderent, legibus esse permisum, resistere non  
numquam, & nunc in eum casum, de quo leges inter alia mentio-  
nem faciant, rem esse deducatam, Theologi publico scripto, quod  
apud HORTLEDERUM de Causis Belli Germanici Lib. II. Cap. 9 &  
inter LVTHERI Opera Tom. VII. Germ. Ien. fol. 280. extat, ingenue  
professi sunt, se nesciuisse, hoc licere, & quia leges politicas Euangeli-  
um non impugnet aut aboleat, uti semper docuerint, deinde,  
quoniam tempore tam dubio tamque formidoloso multa possint acci-  
dere, sic, ut non modo ius ipsum, sed conscientiae quoque nisi at-  
que necessitas arma porrigit, defensionis causa foedus iniiri posse,  
sive Caesar ipse, sive quis alius forte bellum eius nomine faciat. U-  
de SLEIDANVM de statu religionis & reipublicae Lib. VIII.

## V.

Reprehenditur obstinatio ICTORUM in  
iudiciis, & collegiis.

Non itaque ferendi sunt Iureconsulti, qui obstinati sententiam, quam  
semel hauserunt, tuentur, nullisque, solidissimis licet rationibus, ab illa  
se dimoueri sinunt,

*Uel quia, ut HORATIVS Lib. II. Epist. 1. loquitur, nil rectum,  
nisi quod placuit sibi, ducunt;*

*Uel quia turpe putant pavere minoribus, & quae*

*Inberbes didicere, senes perdenda fateri.*

Constantiam scilicet vocant, quae profecto superbia & arrogantia est.  
Hac ipsa uero peruvacia sua, quam pro uirtute habent, odiosas redi-  
dunt bonas literas, & imprimis iurisprudentiam, efficiuntque, ut prin-  
cipes ac purparati uitium, quod illiberali horum hominum ingenio  
tribuendum erat, ipsis studiis adscribant. Notum est, LVDOUI-  
CVM IX. Galliarum Regem, filio CAROLO IX, propterea dissuasisse  
literas, quod animum obstinatum & ita pertinacem redderent, ut

6 DE UARIATIONIBVS ET RETRACTATIONIBVS

aliorum deinde consilia penitus respuat. Sed de ceteris literatis dicere iam non uacat. Iureconsultorum ampla satis fēges est. Et, ut de illis primum dicam, qui iudicis & collegis uel praefunt, uel affident, *Ordinatio Cameræ Imperii P. I. art. 13. §.* So auch der Cammer-Dichter &c. pertinaces huiusmodi assēstōres eūcēre e iudicio iubet. Inſlissime quoque ZIEGLERVS in *Dicafice Concl. 17.* con querit̄ur his, qui praeconceptam ante caufae cognitionem ad tri bunal ſecum ferunt ſententiam, a qua deinceps dimoueri ſe haud patimuntur. Et recte idem ZIEGLERVS *Concl. 42.* pertinaciam iudicis, qui, cum plures ſibi habeat adjunctos assēstōres, item non ex pluralitate ſententiārum, ſed ex ſua ſibique adhaerentium opinione dirimit, dānnat, ostenditque, eorum opinionem & iuri Romano in *L. 36. de Re iud. & L. 18. de Receptis qui arbitr. repugnare, & iudicia lūmīis difficultatibus inuoluere.*

VI.  
Reprehenditur ICtorum obſtinatio  
in Academiis.

Tranſeo ad Doctores academicos, inter quos potissimum obſtinati nem regnare uidemus. Errant magnopere, qui hodie duas illas Iureconsultorum feſtas, quarum mentionem *L. 2. §. 47. de Origine Iuris facit, c ASIANORVM & PROCULEIANORVM*, ſublatas putant. Nomen ſolum diuturnitate temporis obliteratum eſt. Diſſenſio ipſa ad noſtrā uisque acrātem perduaruit. Facillimum foret, per omnia retro ſaecula demonſtrare, omnes, quoquā uixerunt, Iureconsultos ad alterutram harum ſeſtarum pertinuisse. Quemadmodum, enim, PROCULEIANI, teſte POMPONIO in *L. all.* plurima ex ingenii & doctrinae fiducia innouabant, atque secundum GELLIUM Lib. XIII. C. 12. multa, quae communiter ignorabantur, ex antiquitate reuocabant; CASSIANI uero in his, quae tradita illis a p̄fæceptoribus fuerant, perſeueraabant; eamdem fabulam ſuccesſores eorum, mutatis personis nominibusque, ad noſtrum uisque tempus egerunt. Alii, de quibus in praefens non dicemus, ſtudio innouandi flagrarent. Alii contra uel latum unguem ab iis, quae acceperant, recedere veriti, nouas, quoquā proponebantur, opinioneſ non examinatas hoc ſolo nomine, quod nouę eſſent, condemnarunt, & uetera retinuerunt

nuerunt. Quos ego quidem etenus laudo, quod non promiscue sibi omnia, quae a nouatoribus excogitantur, obtrudi sinant. In eo autem sine dubio peccant, quod, sicut populus Romanus, electis regibus ex odio aduersus eos, omnes illorum leges, sive bonas, sive malas, abrogavit, ipsi quoque, quidquid nouiter proponitur, utile cum inutili rejicant, & antiquas opiniones, quia semel eas receperunt, accendo sicut per aliorum scripta lumine clariore, seruent mordicusque tueantur. Scilicet, ut TACITI verbis in libro de moribus Germ. C. XXIV. utar: *Tanta in re prava peruvicacia est: ipsi consantiam vocant.*

## VII.

**Reprehenditur etiam nimia inconstantia in  
legumlatoribus.**

Sed nec eorum defitoria leuitas probanda est, qui sine iusta ratione sententiam mutant, atque temere contrarium eius, quod ante statuerunt, amplectuntur, & propugnant. Iporum heic legumlatorum mentio iniicienda est, qui leges pristinas facile atque sine evidentia utilitate & rationabili causa tollunt, adeoque monitum, quod in L. 2. de Conſtit. principum L. 23. de legibus & Nouella 28. pr. traditur, non obſeruant. Pessimum est, si PROCOPII Anecdotoſ fidem habemus, ipsius IVSTINIANI faſum, quā accepta ab Emefenorum Ecclesiae procuratoribus pecunia, in fauorem illorum, ceterorum autem ciuium perniciem, constitutionem, quae adhuc in L. 23. C. de SS. Ecclesiſ extat, tulit, qua leges prītas, ordinariam praefcriptionem etiam in rebus Ecclesiæ admittentes, abrogavit, centenariamque introduxit. Equidem EICELIO, qui IVSTINIANVM p. 300. excusat, facile largior, Imperatorem fraudis eius, quam Ecclesiae procuratores, auctore PRISCO comiserant, dum falsa instrumenta fecerant, ignarum fuisse. In eo tamen peccavit grauiſſime, quod antiquam legem aequissimam temere ſuſtulit, quod Ecclesiis ius nouum cum maximo aliorum detimento concessit; quum tamen ipse id deinde iniustum agnouerit atque in Nouella iii. iterum ſuſtulerit. Illud vero improbissimum est, quod non sponte, sed accepta pecunia illeatus, quemadmodum & SUIDAS verbo ιγλονος ἐμετηνός fatetur, hoc fecerit. Avaritia itaque, uel, si & hanc negas, superficio, quam

EICHE-

EICHELius minus recte pietatem & religionem uocat, causa mattati iuris fuit. Sed & ex recentiore historia afferri possent exempla principum, qui leges, prout libitum est, figunt & refugunt, priuilegia contra ius commune & in aliorum perniciem indulgent, ea, quae iuste olim concessa fuerunt, temere reuocant, facile contra leges suas dispensant, poenas promeritas maleficis sine iusta caufa remittunt &c. Sed haec tetigisse faltem nobis sufficiat, qui non de Principibus, sed Iureconsultis agere constituimus.

## VIII.

## Reprehenditur nimia inconstantia in Ictis.

Diximus supra, Iureconsultos eos inconstantiae notam non incurere, qui iustis per mori rationibus a ueteri sententia sua recedunt. Ne quis tamen illos a nobis excusari putet, qui animi sui leuitatem frequentibus nimis variationibus produnt. Sunt, enim, multi PROTEO mutabiliores, atque singulis fere horis ab eo, quod antea statuerunt, recedunt, & in alteram partem transiliunt, mox uero redeunt, & in ea, quae deseruere & damnauere, iterum reuoluuntur. Uideas, qui ter uel quater super eadem re sententiam mutant, & fundamenta, quibus doctrinas suas superstruxerunt, saepius subuertunt, & nouis substituunt. Id uero decet utique grauem constantemque uiurum, & indicio est, eum, non consideratis recte ponderatisque rationibus, opinionem, quae primum se offert, & aliqua saltem probabilitate animum percutit, arripere. Dici non potest, quantopere leuitas ista & iurisprudentiae nostrae damnosa sit, & iudiciorum integratatem subuertat. Talis iudex CLAUDIUS Imperator fuit, de quo SUETONIUS Cap. XV. In cognoscendo, inquit, ac decernendo mira uarietate animi fuit: modo circumspicitus & sagax, modo inconsultus ac praeceps, nonnumquam fruolus amantisque similis.

## IX.

## Reprehenditur nimia inconstantia in integris collegiis.

Sed non tantum singuli, uerum integra quoque iudicia & collegia, quae ex pluribus assessoribus constant, huiusmodi leuitati sunt obnoxia, ut in nulla sententia firmiter permaneant, sed diversimode de iisdem casibus

bus

bus & quaestoribus sentiant & pronuncient. Improbis profecto Neque enim viros cordatos fluctuare decet. Oportebat, quoties controversia nondum in legibus decisa obuenit, argumenta, quae in utramque partem afferri poterant, considerare, certumque quid statuere, quod deinde in simili casu obseruetur. Atque eiusmodi obseruantia non quidem pro idolo habenda, sed tamen ab ea non, nisi ob grauissimas rationes, recedendum est. Uidetur hoc intendisse FERDINANDVS Imperator in *Constitutione iudicij aulici tit. i. §. 16.* Unsre Reichs-Hof-Rathen sollen die rechtmäßige Obseruationes und Gebräuche in acht nehmen, und nach denselben ihre Decreta, Bescheide und Urtheil richten. Vide etiam tit. s. §. 23: Und damit um so viel desto besser in Gedächtniß behalten werde, was iederzeit ge- rathschlaget und geschlossen worden, so wollen wir, daß unsre Secretarien die Rathschläge und Schlüsse beständiglich in das Reichs- Hof-Rath-Protocoll einverleiben. Ceterum ipsi Camera Imperii talem inconstantiam obiicere olim ausus est UVLTEIVS Cons. Marburg. Vol. I. Conf. 34. n. 53: *Praec iudicia, inquiens, Cameralia, quae GAILO, MYNSINGERO & aliis allegantur, non tam facile trahenda sunt ad exemplum, praesertim in controv ersis perplexis, & multiplicem distinctionem habentibus; neque rarum est, ut ipsi Domini Assessores Camerale Imperialis a prae iudiciis suis recedant, cuius exempla ex obseruationibus allegari possent, nisi quotidiana diceret experientia.* Sed antequam hac de re plura dico, non possum, quin felicitatem meam praedicem. Ordini Ictorum, qui Uitebergae floret, assedi olim. Nunc uero Collegio Iurisperitorum in Academia Julia intersum. Utrobiique Praesidem inueni, isto honore & fastigio dignissimum, Collegasque, Viros integerrimos & grauissimos, qui auctoritatem suam ac constantiam mirifica humanitate temperant. Ne quis ergo, ut est mos hominum malevolorum, me alterutrum ex iis Collegiis infectatum fuisse puret. Improbis forem, nec calumniae notam, quam in aliis abominor, effugerem, si leuitatem vel pertinaciam Uiris, qui ab utraque alienissimi sunt, obiicerem. Ipse ego exemplo eorum & uirtute admonitus uitia ista fugere didici. Itaque ea ceteraque, quibus me ornarunt, beneficia, obseruantissime agnosco, gratia animi mei hoc ipsum extare uolo monumentum,

## X.

**Integrorum Collegiorum leuitas proficiscitur  
uel ex infrequentia assessorum.**

Tres autem potissimum sunt causae inconstantiae huius, quae in iudicis collegiisque nonnullis animaduertitur. Una est, quum decreta sive senatus consulta per infrequentiam, ut **LIVVS Lib. XXXVIII. C. 44.** loquitur, sint; puta, si absentibus forte plerisque assessoribus, & captata saepe occasione illis, quorum potior est auctoritas, quique se maxime opposituri uidebantur, causa proponatur & decidatur. Tum, enim, tale decretum pro regula impostorum obseruari nequit, sed a pleno collegio recte subuertitur iterum & immutatur. Optime itaque in *Ordinatione Iudicij Aulici* cit. 1. §. 15. & 16. interdictum, ne senatus consulta per infrequentiam sint: Es soll auch der Sachen Relation und Erörterung in Versyn aller, oder ja genugsamer Anzahl eines Collegii, keines Weges durch Absonderung etlicher weniger Personen; insonderheit aber im Abwesenheit derselben, so dabeyern derselben Sachen principaliter beygewohnet oder davon Bericht haben, nichts vorgenommen, weniger geschlossen werden. Und sollen bey Schöpfung der Definitiu-Urtheil iederzeit aufs wenigste acht Räthe sich befinden.

## XL.

**Uel ex Assessorum incuria & osci-  
tantia.**

Altera huius leuitatis causa est oscitania & incuria assessorum, qui in res alias, saepe in colloquia iniucem intenti, nec recte percipiunt ea, quae proponuntur, nec causam accurate decidunt, nec eorum, quae olim Collegio placuerunt, recordantur. Cui negligentiae ut occurratur, statutum est in *Ordinat. Camerae P. I. tit. 13*: Es sollen auch die Besitzer in ihren Relationibus einander fleißig hören, keiner den andern hindern, und in seine Stimme einreden; item von einander nicht ausschehen, umgehen; oder mit einander von andern Sachen reden, damit in Relationibus nichts den Parteien zu Nachtheil überhöht oder versäußt wird.

met werde. Ceterum non possum, quin festuum oscitantis huiusmodi confessus exemplum addiciam. Excerpsi hoc ex *Apologia PETRI BERENGARII*, quam pto AB AELARDO, praeceptore suo, scriptis, & quae inter *Opera A B A L A R D I* Parisis edita extat. Sic autem ibi: *Vini color, inquit, ita incesserat cerebris, ut in somni letargian oculi omnium soluerentur. Inter haec sonat lector, sicut auditor. Altus cubito ianititur, ut det oculis suis somnum, alius super molle cervical dormitionem palpebris suis molitur, alius super genua caput reclinans dormitat.* Quum itaque lector in PETRI scriptis aliquod reperiret spinetum, surdis exclamabat auribus Pontificum; damnatis? Tunc quidam uix ad extremam syllabam expugescati somnolenta uoce, capite pendulo damnamus aiebant. Alii uero damnantium tumultu excitati, decapitata prima syllaba, natus inquit. Lepida quoque est historia, quam MATAGO DE MATAGONIBVS, quo nomine FRANCISCVS HOTOMANNVS latere dicitur, narrat: *Nota, inquiens, omnibus est historia de eo, qui, quum dormiens a praeside excitatus & sententiam interrogatus esset, semisonnis dixit, suspendatur, cedens criminalē processum esse. Cui praeses, quin imo, inquit, agitur de prato. Ergo defalcatur, respondit ebrus.*

## XII.

**Uel ex persuasione, quod in gratiam consulentes debeat responderi.**

Tertia istius inconstantiae causa est falsa persuasio, qua ICti quidam autmant, in responsis, quae ad interrogationem partium priuatam dantur, non opus esse tanta circumspectione, sed in gratiam quae-rentium posse aliquantulum a recto tramite deflecti. Ita uero sit, ut interdum alteri quoque parti petenti non minus gratiose atque sic diversimode in eadem causa respondeatur; uel, si causa decidenda a iudice Collegio committatur, sententia deinde responso prorsus contraria feratur. Hoc uero dignitati atque officio ICti repugnare, quis non animaduertit? Ego semper istiusmodi ICtos cum opifice illo apud MACROBIVM in *Saturnibus Cap. V.* comparare soleo, qui durante bello Aetiaco, quum dubia esset inter AVGVSTVM & ANTO-

NVM uictoria, duos coruos instruxerat, quorum alter: *Hau cÆsar uictor imperator*; alter: *Hau uictor imperator ANTONI* eloquebatur; ut sic ab utroque gratiam iniret. Praeterea & hi, qui tale responsum accipiunt, decipiuntur, & nonnumquam ad litem frustra sufcipiendam, quam alias omisissent, magnisque sumtibus continuandam inducuntur. Interim, si NOODTIO in *Probabilibus Iuris L. II.* C. 2. fidem habemus, nec prisci quidem ICti Romani ab hoc uicio immunes fuerunt. Disquirit ibi, quamobrem, transactione inter legitimum & testamentarium haeredem de diuidenda haereditate facta creditores in *L. 14. de Transact.* iubentur utrumque pro parte haereditatis conuenire, quam tamen in *L. 3. princ. eod.* in simili plane casu legatarii ad solum haeredem testamentarium remittantur. Rationem ipse in eo quaerit, quod utriusque legis unus auctor sit, SCAEUOLA scilicet, sed quod *Lex. 3. ex Digestorum*, *Lex 14. ex Responsum* libris sit desumpta. Igitur in hac, ait, non respondit SCAEUOLA ex animi sui sententia, sed, ut amico, cui respondebat, rem gratam acceptam que faceret, a certo iure, quam oportaret, recessit longius & commisit peccatum manifestum. At in *L. III.* docentis personam sustinet, & iudicio ingenuo uitetur atque minus obnoxio. Et haec sine dubio causa est, quamobrem Doctori decidenti & docenti maior fides communiter habetur, quam consulenti. MARS MANN. in *Milio log. P. II.* C. 7. n. 44. HARTM. P. III. qu. 20. n. 25. Hinc etiam Schrader de Feudis P. X. tale collegium, quod alterutri litigantium iam respondit, suspeclum esse dicit, & acta ad illud mitti debere, negat. Cuius sententiam multi iudices sequuntur, &, quam ab Ordine ICtorum sententiam expetunt, literis plerumque adiiciunt; remitti debere acta, si forte alteruter litigantium priuatim iam istud Collegium consuluerit. Ceterum insigne levitatis in Collegio quodam medico, quod partum undecim mensium, quia mater egena erat, illegitimum, infantem vero ex matre diuite, elapsa post mortem mariti anno, natum legitimum iudicauit, exemplum uide apud AMMANVM in *Ireneo NUMAE POMPILII cum HIPPOCRATE* p. 78. & 79.

## XIII.

**Uel ex fastidio erga euolutionem actorum.**

Recensui causas, quae efficiunt, ut in iudicis & collegii ICTORUM varie ac inconstanter prouincietur. Ne quis tamen me illas omnes exhaustissime putet. Sunt aliae multae, quas enumerare omnes taediosum fuit. Dicam tamen adhuc de quibusdam. Uideamus aliquos istiusmodi collegiorum assessores, qui sese ad maiora & meliora natos existimant, & actorum euolutionem ceterosque labores, quos ex officio suscipere debent, tamquam sordidos fastidiunt, atque adeo ea, qua par erat, diligentia in iis non uersantur. Itud autem fastidium exinde plerumque proficitur, quod lectioni antiquorum auctorum, aut contemplationibus philosophicis, aut monumentis historicis aduersasti, eandem elegantiam idemque acumen in frigidis saepe aduocatorum scriptis deprehendere sibi non uidentur. Nequeunt ergo barbariem istam, ut aiunt, iudiciorum hodiernorum concoquere, nequeunt tempus sibi pretiosissimum cognitione & decisione controversiarum non raro de minutissimis rebus suscitatarum consumere. Despiciunt eos omnes, qui serio & intento animo ista negotia tractant. Ipsi, quia tamen professio, quam sustinent, & electum semel uitae genus hoc sibi onus imponit, festinantissime sese expediunt. Lectionem actorum aliis, quorum opera utuntur, committunt, apt, si neminem habent, cui confidant, ipsi potissimum partem eorum cursim degustant, neque rationes, quae in utramque partem ab aduocatis afferuntur, ponderant, sed ne inspiciunt quidem; verum quaectione, de qua lis est, leviter percepta iudicant statim; &, quidquid animos eorum probabilitate percussit, expromunt. Quum itaque nihil grauiter, nihil considerante agant, non possunt non infinitae variationes & contradictiones, quae integrorum deinde collegiorum fidem minuant, oriri. Huiusmodi iudicem, cui negotia iudicialia sordebat, PLINIVM fuisse, ex Epistola eius to Lib. I. animaduerto, in qua: *Distringor, sit, officio ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas, literas. Soleo nonnumquam, nam id ipsum quandoque con-*

tingit, de his occupationibus ad EUPHRATEM, philosophum, queri-  
llo me consolatur: affirmat etiam, esse hanc philosophiae, & quidem  
pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, indicare,  
promovere & exercere iustitiam, quaeque ipsi philosophi doceant, in usu  
habere. Mithi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere,  
quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Idem in  
Epistola 14. Lib. II. Diffringor, inquit, centumviralibus causis, quae me  
exercent magis, quam delectant. Sunt enim, pleraque paruae & exi-  
les: raro incidit uel personarum claritate, uel negotii magnitudine in-  
signis. Iucundasunt, quae BAYLE in Dictionnaire Historique & Criti-  
que art. Des-barreaux lit. C. de IACOBO UALLESIO, assessor Se-  
natus Parisiensis, quem Parlamentum uocant, narrat. Is sordidum,  
aiebat, esse negotium indignumque niro sapiente, acta legere litesque  
iudicare. Quum igitur aliquando acta ipsi legenda & excerpenda  
committerentur, diu, ut satisfaceret muneri suo, adduci non potuit.  
Urgebant partes, atque, ut finem negotio imponeret, assidue flagita-  
bant. Uictus tandem continuis harum precibus & collegarum ob-  
furgationibus, acorem reumque ad se uocat, utroque inspiciente,  
acta in ignem conicit, & pecuniam, de qualis agitabatur, de suo exsolut. Maluit itaque patrimonii, quam temporis, quod in euolutionem acto-  
rum impenderet, facere iacturam.

## XIV.

## Uel ex ridicula &amp; nimia erga ueteres Germanorum leges ueneratione.

Sunt & alii, prioribus non multum absimiles, ingenios & deli-  
catuli, qui naseam aduersus iura Romana, nobis tamen pro regula  
in causarum cognitionibus & decisionibus proposita, conceperunt.  
Infinitos in illis errores, immumera uitia sibi reperire uidentur. Ab-  
sonae iis sunt leges omnes, ineptae illarum rationes, absurdâ deni-  
que cuncta, quae exinde desumuntur. Multa saltem ideo damnant,  
quod in iure IUSTINIANEO reperiantur, quae, si in priscis Ger-  
manorum annalibus inuenirentur, fortassis probarent. Potuisse intra  
paucos dies corpus legum multo concinnius & melius consici, si modo  
ipsi fuissent in consilium adhibiti, cum supercilios affirmant. Itaque  
laureo-

laureolam aliquam adepturi libellos contra usum iuris Romani conficiunt totosque falsissimis facetis & non illepidis scommatibus aduersus illius assertores complent. Qua ex re duplē fructū capiunt. Nam & alios aculeato stylo a refutatione scriptorum suorum absterrent. Et festiuissimis iocis suis lectores alliciunt. Ipse nonnumquam non sine voluptate uolumina eorum euoluo, & accidit mihi interdum, quod CATONI UTICENSI, qui, ut est apud PLUTARCHVM in *Uita eius*, quem CICERO aduersus illum causam MVRÆNÆ oraret, Stoicosque philosphos, ex quorum schola CATO erat, argute exagitat multumque risum iudicibus iniiceret, ipse subrisit, amicisque circumstantibus dixit: *Dii boni, quam ridiculum contum habemus.* Nam & ego interdum video ridiculos ICtos, qui propter praemium in scenam prodeunt, & auditores lectoresque suos oblectant magis, quam docent. Itud tamen aduersus ius Romanum odium, si in cathedra uel in scriptis euomatur, tantopere nocere nequit, nisi, quod adolescentes scommatibus istis, ut solidam iurisprudentiam fastidian, commoueantur. At, si in forum protrudantur Doctores isti, uel, si in consessum iudicum aut collegium ICTorum cooptentur, dici non potest, quantas tunc turbas dent. Indignum esse autem homine ingenioso, in causis dubiis, ad centonem illum, ut loquuntur, legum Romanarum confugere, & subtiles earum ineptias ad decisionem adhibere. Antiqua haec omnia & obsoleta vocant, moribus Germanorum contraria, nec umquam ab his recepta. Substituant itaque in eorum locum rectam suam, si Diis placet, rationem, atque ad hanc lucernam, quid iustum & aequum sit, expondunt. Adhibent praeterea, nescio quos, priscos Germanorum mores, uarios, incertos & barbariem facili sui redolentes. Hinc autem sit, ut sententiae & responsa, quae in huiusmodi officiis excunduntur, nullo solido fundamento subnixa corruant facile, & ab his ipsis, qui ea fecerunt, rescindantur. Pronocant quidem plerumque ad aequitatem, & saepe in responsis suis iura legesque scriptas loco rationum dubitandi ponunt, easque deinde ex aequitate illa refellunt, & ordinem iudiciorum pro lubitū emendant. At aequitati, quae in eorum cerebro nascitur, parum tuto confidas. Poterit ea reliquis collegis iniqua uideri, qui, si ad ipsos similis causa iterum devoluuntur,

pro-

prorsus contrarium itidem ex aequitate statuent. Et ipsi nonnumquam, diebus aliquot interieritis, obliti eorum, quae antea aequa crediderunt, diuersam sententiam amplectentur. Haec sunt illa incommoda, quae euitari nequeunt, si aequitati cerebrinæ ICtorum decisionem controversiarum relinquas, certamque normam e medio tollas. Praefat profecto, qualemque, quam nullum fundamentum, cui innitamus, habere. Ne quis autem existimet, se illud tantum in priscis Germanorum moribus reperturum. Nihil dicam de eorum barbarie. Sed ii tamen, qui ius Romanum ad statum reipublicae nostræ accommodari posse negant, animaduertere debebant, applicationem prisci iuris patrii longe difficultiore esse. Germania, enim, qualis hodie est, toto coelo differt ab illa, quae ante aliquot saecula fuit, & longe proprius accedit ad similitudinem Romanae, quam priscæ Teutonicæ reipublicæ. Quemadmodum igitur absurdissimum foret, uestitum maioribus nostris usitatum adhibere, sic rideri etiam debent, qui iura obsoleta, indoli, molestiae, consuetudinibus saeculi huius omnino aduersa reducere conantur. Sed fac etiam, reduci illa posse. Unde uero ea hauries? Ex Speculis Saxonico & Sueuico siliisque huius generis compilationibus profecto non poteris. Ita, enim, uolumina a priuatis composta & auctoritate nulla muniuntur, & nimiam priscarum consuetudinum partem complectentur. Ad annales igitur & priuatos scriptores antiquorū saeculorum confugias, necesse est. Ex inculcis horum & horridis uoluminibus corradiere ueteres consuetudines oportet. O miseram & inquinatam Iurisprudentiam! quae ex turbidis his fontibus hauritur. Ergo fides, quam VSTINIANO detrahimus, habenda est sacrificulis, monachis ceterisque id genus hominibus, bardis, stupidis literisque elegantioribus ne quidem adspersis. Et quae tandem, si hanc molestiam feras, incertitudo iuris orietur? Stylus, quo auctores isti utuntur, impolitus est & obscurus. Nec consuetudines suorum temporum accurate describunt, sed tanquam rem communiter notam uix leuiter attingunt. Coniecturis itaque in plerisque opus est, ut ius eruas. At alii contrarium ex iisdem saepe auctoribus & iisdem locis coniiciunt. Accedit, quod scriptores isti non unius, sed plurium saeculorum sint, Germani uero nostri mores suos simul cum uestibus fere singulis lustris mutarint, & diuersum

diuersum ab eo, quod ante placuerat, reperirent. Imo quum mores prouinciarum & gentium, quae Germaniam constituerunt, maxime inter se dissederint & discordarint, interdum eiusdem aeuii, sed diuersorum populorum scriptores contraria habebunt. Quae vero hinc in Iurisprudentiam nostram incertitudo & confusio inuehetur. Sed scio, me haec difficulter iis persuasum, quos iuris Romani taedium cepit, quique tempus suum in evolutione scriptorum & monumentorum antiquorum posuerunt, ac nihil sere, quam barbara ista nomina, crepare didicerunt. Hi actum esse de eruditione sua conquerentur, si Ius Romanum reducas. Nolo tamen quis existimet, me studium praece historiae Germanicae damnam. Scio, quam id sit utile ac necessarium in explicando recte iure publico, quod, ut uerum dicam, nihil aliud est, quam series historiarum antiquarum. At in iure priuato exiguis eius usus est. Neque etiam ius IUSTINIANEUM supersticiose adoro. Uideo nacuos, quibus id refertum est, & ridere soleo ICtos quosdam, qui nihil elegantius, nihil concinnius, nihil accuratius corpore legum Romanarum confici potuisse, eisque id omni numero absolutam & perfectam, dicunt. Nullum extat in orbe opus, in quo non aliquid reperias reprehendendum. Optimum est, quod minimos & paucissimos errores habet. Hucusque autem ius nullum uidi, quod melius sit & accuratius Romano. Retineamus ergo illud necesse est, neque moueamur uoculis eorum, qui Romanae Reipublicae leges ad Germaniam applicari posse negant. Ego profecto non video, quam obrem iura, quibus una ciuitas floruit, in alia licet diuersa paululum locum intenire nequeant. Neque est tanta inter utriusque reipublicae statum pugna, quam aliqui sibi imaginantur. Prudentissimos itaque fuisse credo Brunsvicensum Principes, qui, ut incertitudinem iurium tollerent, poluerunt, imposterum in terris suis prisci Germanici iurisdictionem haberi, sed secundum Iura Romana respondere & pronunciare iusterunt. Ceterum ego contemptoribus istis legum IUSTINIANEARUM eleganter oppono ex MELANCHTONIS Orat. de Leg. locum, in quo ille: Maneo, inquit, juniores, ut insulso & seditioso clamores eorum explodant, qui hoc Romanum Ius uituperant, & somniant, se nouas leges condere posse. Horum stultitiam non refutabo longa oratione, quamquidem uera, gravis & splendida refutatio opponi possit.

C

Sed

Sed nunc in hac temporis angustia eam omisso, tantum apogorum recitabo, qui illustri imagine ostendit, quales sint illi noui Nomothetae. Simia, quae capta ab hominibus, aliquamdiu uiderat urbes, domos, hominum congregatus, theatra, spectacula, ludos; postea elapsa rodit ad finias, ac narrat, quid uiderit, hortatur, ut bonitatem imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempestates, & addant mania aduersas leones, lupos, homines: nec tantum haec utilitas proponitur, sed commemoran tur theatra & spectacula. Horum imitatione magnas voluptates paritura uidebatur. Placet ergo consilium & dimittunt uetulae similes juniores ad materiam cedendam & saxa conuehenda. Sed hec deprehendunt statuim suam simiae; deerant secures, & ratio nulla erat uel cedendae materiae uel congeuandandi lapidis, derique ars tota architectonica deerat; res igitur cogit eas id, quod statu infiteuerant, omittere. Harum simiarum quam similes sint multi, qui hoc Romanum ius sapientissimorum & peritissimorum hominum deliberationibus scriptum & deinde illustratum uituperant, & statu somniant, se meliorem politiam condere posse, destrucentia explaudenda sunt, quorum quanta sit vanitas, etiam si iuniores nondum uideant, tamen senioribus & peritis credant, non temere leges sapientum & peritorum iudicis latae, receptas, comprobatas, mutandas esse.

## XV.

Causae uariationum & contradictionum in singulis ICtis I. Studium multa & magna uolumina scribendi.

Sed haec de integrorum collegiorum inconstancia dicta sufficiant. Ueniamus nunc ad singulos ICtos eorumque variationes. Primum inter illos locum occupabunt polygraphi isti, qui, dum fami potius quam famae scribunt, atque breui tempore mules & grandia uolumina conficiunt, non possunt non in hunc scopulum impingere. Duo, enim, haec diuersissima invicem sunt, & numquam fere, si paucissimos diuinii ingenii viros excipias, conueniunt, bene scribere & multum scribere. Qui ultimum hoc sibi proponunt, lucrum magis & mercedem a librariis promissam, quam gloriam, spectant, atque adeo, ut opera-

rii solent, id unice quaerunt, ut pensum suum, praescriptum scilicet paginarum numerum, quam primum absoluant. Omnia itaque, quae ad eum finein facere uidentur, studiose conquirunt, in explicandis rebus leuibus facilibusque verbosi admodum sunt, difficultiora, quae interpretationem morari poterant, uel praetererunt, uel primoribus saltim labris degustant, auctores, quotquot de eodem argumento egerrunt, uel ad illud quocumque modo trahi possum, extribunt, et si amanuenses habent, partem operis, nulla styli uel ingeniorum diuersissimorum saepe ratione habita, inter illos elaborandam dispergunt. Ita uero magnum repente surgit aedificium, cum summa eorum, qui eruditionem ex mole aestimant, admiratione. Excrescit quotidie dissertationum ceterorumque scriptorum numerus, ut ad ea penitus cognoscenda, quemadmodum ual erius maximus *L.VII.C.7.n.10.* in ext. de CHRYSIPO air, longa uita sic opus, aut, quod ERYTHRAEUS in Pinacotheca *P. I.* de ABRAHAMO BZOVIO praedicat, his percurrentis uix unius hominis actas fuscire uideatur. Quodsi uero curatus omnia examines, male inter se cohaerere animaduertes. Quum, enī, ut restit SCHNEIDERUINUS apud MELCHIORI DAMI in uitis Iureconsultorum dicit, ad poenitendum properet, qui cito iudicat & scribit, necesse quoque est, ut polygraphi hi multa inconsiderate efficiant, in quibus relegendis deinde erubescant. Igitur, quod uno scripto afficerunt, in altero operose refellint. Sed quid de diuersis scriptis dico? In uno eodemque libro saepe diuersa contrariaque inuicem proponunt, oblixi eorum, quae paulo ante scripserant. Nolo, ne impudens uidear, quemquam nominare, quum volumina eorum, qui hac in parte maxime peccarunt, magnopere celebrentur, & in omnium manibus uersentur. At his, qui commentarios eorum legerunt, ignotum esse nequit, obseruationem obseruatione, definitionem definitione, consilium consilio, interpretationem unius legis interpretatione alterius mutari & retractari. Hi ipsi, qui, in IUSTINIANEO iure contradictiones legesque uere obstantes reperiiri, statuunt, potissimum causam huius leuitatis reiiciunt in festinationem TRIBONIANI sociorumque eius, qui, quum Imperator in *L. 3. §. 12 C.* de Ueteri iure encl. decennium ipsis indulsseret, ut celebritate gloriolam accuparentur, immensum & ex innumeris uete-

rum uoluminibus collectum opus intra triennium absoluuerunt. Illud certum est, festinatione hac multos in primum Codicem errores irrepis-  
se, ut deinde illum IUSTINIANUS retrahare, sive, ut ipsius uerbis  
ex Constitutione de Emendatione Codicis §. 4. & s. utar, purgare, candi-  
dum facere & renouare necessum habuerit. Sed ut uno adhuc ex-  
emplio sententiam, quam supra afferui, paucissimos scilicet polygra-  
phorum bene & accurate scribere, confirmem, IULIUS PAULUS,  
ex quo plurimae in Pandectis leges excerptae sunt, omnes quidem sui  
temporis ICtos multitudine librorum, sed & obscuritate atque ambi-  
guitate superauit, ut verissime de illo scriperit BERTRANDUS Libro I  
de Iurisperitis: *Eius uniuersae leges ita obscurae, ambiguae, uerborum  
que tenebris involuta sunt, ut id, quod de CHRYSIPPO CICERO de  
diuinatione scriptis, de PAULO dicere verissime possumus, cum totum  
hoc uolumen impetuose oraculis flexiloguis, & obscuris, ut interpres  
egeat interprete & forsipsa referenda sit ad sortes.*

## XVI.

II. Congeries multorum Auctorum & Com-  
mentariorum.

Illi etiam ICti non possunt non in variationes & contradictiones  
incidere, qui, ut hodie plerumque fieri uideamus, libros & disserta-  
tiones suas non proprio Marte elaborant, sed ex aliorum auctorum  
scriptis consarcinant. Fieri, enim, non potest, ut, dum multa ex  
dissentientibus saepe & inuicem contrariis auctoriis excerpuntur,  
postrema primis non contradicant. Recentiorum exemplorum cupi-  
dos ad ipsos illos centones, quorum infinita multitudo est, remitto.  
Ut ad antiquiora ueniam, de ipsis quidem Pandectis, quae ex duo-  
bus uoluminibus secundum L. 2. §. 1. C. de Ueteri iure encl. ex-  
cerptae sunt, nihil dicam. ACCURSIUS in medium prodeat, prin-  
ceps eorum, qui ad ius Romanum commentatis sunt. Is habi ipsi innu-  
meris in locis contrariatur. Sed, si PANZIROLO de claris legum  
interpretibus Lib. II Cap. 29 credimus, id non ex leuitate ingenii, sed  
diuersis antiquorum, quas annotabat, opinionibus euenerit. His, enim,  
quae ab aliis inuenta fuerant, ad prolixitatem uitandam, primam no-  
minis

minis auctorum literam apponere consueverat, quae etiamnum in mediis glossariis conservantur. In fine vero ut plurimum desunt. Ita sit, ut, quae alterius plerumque est opinio, ACCURSII esse credatur, & sibi ipse aduersari videatur. Haec scribens cogito & doleo illorum vicem, qui, dum iura discere laborant, nimia commentariorum lessione memoriam, ingenium indiscutibilem obtundunt, atque aliquam scientiam, sed confusam & fluctuantem, acquirunt, uterque post infinitos labores cum illo apud TERENTIUM dicere possunt: *Factum probe;* incertior sum multum, quam dudum. Multitude certe illa auctorum retardat magis, quam iuvat solidae iurisprudentiae studium. Optime itaque fecerit, qui PAULI CASTRENSIS exemplum sequetur, de quo aposite GRAUINA de Ortu & progressu iuris ciuili p. 200. Auxit, inquit, illi, ut saepe aliis, scientiam egestas. Quum, enim, pecunia carret ad emendos commentarios, coactus est omne tempus in ipsarum lessione legum ponere: cuius assiduitate studii ad priscas ac germanae sapientiae integritatem assuefecit ingenium. Hinc scripta illius prae aliis ueterem disciplinae candorem ac ueritatem arriperunt: quem nobis frumentum ingens voluminum in diem incepit, sententiam ac mentis libertatem irretientium strues intercipient.

## XVII.

### III. Transitus ex unius Principis seruitio ad alterum.

Uenio nunc ad ICTOS, qui, dum ex unius Principis seruitio ad alterum, qui diuersa iura & contrarium interesse haberet, transirent, ea, quae pro priore olim scriperunt, nunc ipsi refellunt, retractantque. Horum quoque leuitatem nemo cordator probabit. Dum, enim, sententiam suam sub priore domino constanter retinuerunt, & eam, postquam demum in alterius seruitium transierunt, mutare, manifeste sat offendunt, non ingenue se & ex uera animi sententia scribere, sed mercenariam illi, cui seruit, operam accommodare. In scriptoribus iuris publici id maxime animaduertes. Sunt, qui olim in Caefaris, vel Electoris, vel Principis, vel Episcopi, vel Civitatis liberae ministerio constituti iura eorum strenue defendentur, deinde vero ab

aduersa parte allecti seruitium animumque mutant, & quae antea assuerunt, audacter impugnant. Ex multis, quae inuidiae causa nunc omitto, exemplis unum GOTTERIDI FERDINANDI DE BUCKISCH & LOEMENFELS afferam. Is in sacris Protestantium educatus, quem apud eos locum, quo sibi dignus uidebatur, non statim inueniret, ad castra Romana transfugit, ac tandem Viennae Professoris publici munus ex commendatione Patrum Iesuitarum adeptus, horum iusti obseruationes suas in Instrumentum pacis Uestphalicae composuit, quibus Protestantes acerbe insectatur, ipsasque Pacis tabulas, ut sectae suae seruit & blandiatur, mala saepe fide torquet & explicat. Labore autem uix ultra articulum VII producto, Iesuitarum odium incurrit, eoque Austria expulsus cum uxore liberisque variis in locis exulauit, summa cum egestate colluctatus, ut si pene mendicare cogeretur. Uiderunt eum multi Ratisbonae per aliquot menses haerentem cupidumque redeundi ad auita sacra, modo quis suisset pater, qui respicienti filio annulum uestesque daret, & uitulum mactaret. Ipse hostimenti pignorisque loco offerebat, non modo retractaturum se, quae in fraudem Uestphalicas pacis in Obseruationibus suis scripsisset; verum etiam historiam suam Silesiacam, quae inedita adhuc est, locis illis mutaturum, ubi quid coactus futerit in praeiudicium probrumue Protestantium tradere. Quin se fraudes Pontificiorum detegurum policebatur, quibus deceptus ipse sit, ut uenalem calamum haberet. Neque dubitandum, quin haec destinata exitum habitura fuissent, si uitam ei paulo longius producere licuisset. Iam, enim, erant, qui sat tolerabilibus & honestis conditionibus virum, Coloniae fame cum suis parentem, clam allicere decreuerant, atque id negotii iam aliquibus dederant. Sed ista, antequam perficerentur, mors interuerit. Haec & plura uide apud HENRICUM HENNIGES in praefatione Meditationum ad Instrumentum Pacis Caesarea Suecium. Simile quid IAC. THOMASII in praefatione LVI, p. 327, uerbis narrabo. Quamquam de regno feminino aliis etiam aetatibus disquisitum inter homines doctos fuit, tamen Saeculo XVI. maxime controversia haec quasi recoqui, & maiore conatu in utramque partem uxari cecipit, quum in Anglia post Eduardi VI. Regis obitum sorores eius duas Maria primum, dein Elisabetha, potiri Sceptro coepissent. Qua-

strahne

rum

rum duarum ut maxime dispar fuit religio, sic factum est, ut, quos MARIA finibus regni eiecisset, illis sub ELISABETHAE imperio tutæ esset in patriam reuersio. Ergo qui CALUINI placira sequerentur, his nihil erat magis exosum feminæ MARIAE regimine, iisdem uicissim, ubi ad clauum Reipublicæ feliciter euctam conspexissent ELISABETHAM, nihil magis uenerabile, quam Regina talis. Hoc magnæ constantiae doctrinaeque vir fatetur SCHLUSSELBURGius L. IV. Theol. Caluini. p. 324. 325. Ex eadem CALUINI religione GIBRIUS, GOODMAN & KNOXUS, qui scilicet exilium suum MARIAE imputabant, publicis libris, Geneuae impressis, docuerant, esse contra ius naturale, diuinum & humanum, ut mulier etiam in rebus politicis regnet. At ubi MARIAE imperium ELISABETHA exceptiset, eximia & Pontificiorum hostis & CALUINI sequarum fautor, protinus verso remigio a Reformatis Anglis non Regna tantum in temporalibus est proclamata, sed etiam caput ecclesiae in spiritualibus. Ita spacio duorum annorum ipsissima SCHLUSSELBURGII uebarecito, quod prius fuit CALUINISTIS Geneuae moratis ipssimum uerbum Dei, mox, atque in Angliam redierunt, mutatum est in uerbum Diaboli. Tantum uidelicet potuit amor in religionem, quam sub alterius feminæ regno conculecatum viderent, sub alterius resurgentem, ut a personis in ipsum imperii genus deflectente se affectu, iam prosciberent Gynocratiam, iam dignitati ac famae restituerent.

### XVIII. PUFFENDORFFIUS EXCUSA- tur.

PUFFENDORFFIUM, quamvis & is in *Rebus gesit's FRIDERICI  
EI GULEIMI M. Electoris Brandenburgici* multa retractarit, quæ olim, quæ consiliarii apud Suecos dignitate sustineret, in *Commentariis de Rebus Suecicis* scripsérat, nolo tamen leuitatis insimulare. Neque, enim, potuit aliter vir ceteroquin prudens & industrius. Ad archiuum quippe Brandenburgicum deinde admisitus plurima inuenit monumenta, quæ ante ignorauerat, quibus refutatio eorum, quæ apud Suecos hauserat, continebatur. Sueci potius prouidentiores esse

esse debuissent, nec permettere, ut tantus ab illis vir abstraheretur. Memorabilia sunt, quae ipse PUFFENDORFFIUS hac de re Holmiae XXIX. Iul. anni C1510 CLXXXVII. ad I. V. PREGIZERUM Consilarium Uittembergicum scribit; *Quid deinceps laboris mihi sit suscipiendum, in ambiguo est.* Nam ad componendam historiam Serenissimi Electoris Brandenburgici conditionibus honestis evocatus sum, accedente consensu Regiae Matesatis. Sed post aliqui ostenderunt, parum conuenire, dimitti illum, qui plures per annos archivium regni euoluit, ac fortasse in historia Electorali quedam occursura, nationi Suecicæ parum gloria. *Quo tamen ista dubitatio euasura sit, intra paucos dies apparebit.* Si Deus uitæ quid adhuc largiri uelit, putem, plus me utilitatis patriæ meæ afferre posse, si Berolini, quam si Holmiae degam. Idem PUFFENDORFFIUS in aliis, quas ad eundem PREGIZERUM Berolini III Octobr. anni C1510 CXCI exarauit, & quas coniunctissimum Collega, J. G. ECCARDUS mihi cum superiore epistola suppeditauit, literis: *Id multi, inquit, mirabuntur, quare ego potissimum, qui pro ingenii modulo partam Suecicæ genti bello Germanico gloriam tradidi, eiusdem funeri in historia FRIDERICI GULELMI M. memorando adhibitus sim.* Evidenter tu speciosam causam coniectas, amorem recti. Sed, qui penitus ista norunt, plerique indignationem, multi risum contineere non possunt. Evidenter postquam Sueci ob me dimissum erubescere ceperunt, sollicito id agunt, ut post absolutum hec suscepimus opus ad ipsos iterum remeem. Sed scrupulosis consultationis est, num mihi hac præfertim aetate eo revertendum sit, ubi natio exteris alias admodum iniquam aspectu sit præconem uel infelicitatis suæ uel præue consultantum.

## XIX.

OBRECHTI & FRANCKENBERGII exem-  
plum adfertur.

Sed in hac mutatione sententiarum maxima prudentia & circumspicatio adhibenda est, ut medium inter levitatem & obsinuationem iter teneas. Duo magnorum virorum exempla proponam, quae ipse profecto, si similis necessitas mihi imponeretur, imitarer. Alterum OBRECHTI est, qui dum patria eius Argentoratum adhuc ad

Ger-

Germaniam pertineret, *Prodromum rerum Alsatiarum* scripsit, in eo-  
que Gallorum iura strenue oppugnauit. Postea rex Galliarum, Ar-  
gentorato potius, exempla libri, quotquot apud librarios supererant,  
aboliri curauit, atque per hoc, ut is rarissime nunc inueniatur, esse-  
cet, quin & OBRECHTO, ut ipse librum suum refutaret, preecepit.  
Verum OBRECHTVS πολιτωράτος, ut TENZELIVS in den mo-  
nathlichen Unterredungen des Jahres 1691. p. 994. adposito loqui-  
tur, respont: *tu eum iam, rex, uictribus armis tuis refutasti.* Alterum  
FRANCKENBERGII exemplum prudentiae quoque plenis-  
simum est. Is principis eiusdem Imperii minister den Europäischen  
Herold scriperat, deinde vero ab Electore inter purpuratos rece-  
ptus librum suum edebat iterum. Erant vtriusque domini iura in ali-  
quot capitibus inuicem contraria. In hac summa difficultate ita ta-  
men se geflit, vt incredibilem uiri prudentiam hi ipsi, quos offensi-  
rus uidebatur, sint admirati. Sed audiamus ipsum *in praefatione*: Es  
erweiset sich bey dieser anderweitigen Revision und Verbesserung des  
Werks annoch die Unpartheyleitheit, daß, wo sich ereignet, daß das  
höchste Churfürstliche Collegium mit den hohen Fürsten Rathen di-  
verle Meinungen und Interesse führet, man beyden höchst- und hö-  
hen Theile wichtige Gründe angezeigt, ohne sich eines Ausschlags  
oder Maßgebung darüber zu untersangen. Die principia sind frey-  
lich nicht allerdings und allenhalben gleich, und sitzen auch wohl in  
denen höchstbegabtesten Raths-Stuben Ministri, welche bey vorfa-  
lenden Gelegenheiten eben so wohl weislich balanceiren, ob mit allen  
Prätensionen ihres Herrn wieder den hohen Gegentheil auszukom-  
men, oder wie weit, auch mit was Succes und Vortheil nachzuge-  
ben, oder die Zeit zu gewinnen seyn möchte. Deren Sorgfalt doch  
wohl zum Zweck behält, daß verhütet werde, damit niemand in die  
Gerechtsamen der Herrschaft eindringen möge. Wäre aber vor-  
mahlens aus ungleich gesünneten Berichten etwas in des Herolds Vor-  
träge eingeslossen, welches ein oder andern Ortes Missbilligung ver-  
dienen mögen, so ist es nur auf einen solchen Typum gebracht, daß  
man zu vertrauen weiß, es werde alles mit einer solchen gejimenen  
Den Bescheidenheit nunmehr gefasster seyn, daß Thro Römische Kays-  
serlichen Majestät Dero Majestätische allerhöchste Autorität, dem

Churfürstlichen Collegio, welches doch nach dem wahrhaften Aus-  
spruche Kayser MAXIMILIANI I. allerdings Königen gleich ge-  
würdigt bleibt, ihre praeeminentien und praerogatiuen, den Fürstenz  
Stande Dero Hoheit und allen sibrigen Ständen ihre löbliche teut-  
sche Freyheit, iura autonomiae, und Reichs-Constitutions-mäßige  
Theilhabung bey der Regierung des heiligen Römischen Reichs  
Deutscher Nation und Thyer Lande, in alle Wege, nach bestem Ver-  
stande und Möglichkeit, unverlebt, und mit vollkommenen Respect  
dergestalt beobachtet werden, als es der glorwürdigen harmonie im  
Reiche nach dessen Verfassung ähnlich ist und seyn soll.

## XX.

Iussus Magistratus de his, quae inconsulto  
scripta sunt.

Eorum quoque facienda heic est mentio, qui ea, quae inconsulto & imprudenter scriperunt, alio scripto publice retractare inquit & magistratus plerumque ope compelluntur. Accidit id nonnumquam his, quorum stylus audacior vel religionem publice receptam, vel ipsum reipublicae statum, vel existimationem aliorum hominum laesit. Quorum aliqui impune temeritatem suam ferunt, aliquibus autem palmodia huiusmodi loco poenae imponitur. Atque ea retractatio tunc sine dubio ignominiosa est, si causa eius, qui retractat, manifeste iniusta sit; puta, si injurias euomuit, aut impiam de Deo rebusque diuinis protulit sententiam. Uid. L. 16. C. Ex quibus cau- sis infamia. Eius autem fama non laeditur, qui ideo, quod liberius, quam homines superstitione ferre possunt, veritatem scriptis, a magistratu istiusmodi hominibus dedito ad temperandam & excusandam sententiam suam adigitur.

## XXI.

Iussusmodi coactarum retractationum  
exempla.

Sed ad exempla ueniamus. Vidi mus nostra aetate Iureconsulatum, qui, quum publico muneri admoueretur, genus aliquod re- tracta-

eratationis, sed mitissimum, subire necesse habuit. At, quum moris nostri non sit, scribere, quae superstites offendere poterunt, ad antiqua redeamus. CAMERARIVS in *Vita MELANCHTHONIS cap. 112.* de uiro quodam, quem ille Rhetorem uocat, ego ex libro memorato iurisperitum fuisse coniicio, haec narrat: *Quidam in libello Rhetoriorum praceptorum suo exponens exemplum actionis capitalis, NICOLAVM GERBELIVM Iurisconsultum tamquam sacrilegii reum nominatione intriduxit; & ab accusatore peragi fecit.* Quod factum, ut auctor affirmabat, inconsiderate & temere, et si non est ista in professore Rhetorices bella defensio, & optumus atque innocentissimus vir GERBELIVS, & amici ipsius grauiter, quemadmodum par erat, & per quam inique tulerunt. Deque ea iniuria tam atroce queuelas suas ad PHILIPPVM MELANCHTHONEM derulerant, cui illius tibelli scriptor notus esset; & significarunt, se constituisse, quibus modo possent, pro fama & dignitate nominis GERBELIANI propugnatos, & eam contumeliam ab ipso propulsatos vindicatosque esse. Eae res quim & PHILIPPO MELANCHTONI & nobis omnibus magnum dolorem afferret, uidereturque magnopere uel exempli causa animaduertenda, & effet tamen auctor libri is, in cuius persona etiam aliorum respectus uerteretur, PHILIPPI autem MELANCHTHONIS animus, ut semper, sic tunc quoque, ad pacem atque concordiam inclinaretur, ita ab hoc est negotium illud his seve conditionibus transactum, ut criminis infamia ante omnia remoueretur, & nomina temeraria, ut affirmabatur, incuria falso inculcata statim inducerentur, & ipse auctor peculiari scripto fateretur iniuriam, eamque a laeso deprecaretur. Magis memorabile est ABRAHAMI BZOUII, historici, exemplum, qui teste ERYTHRÆO in Pinacotheca vol. I. LVDOVICVM Imperatorem censoria quadam auctoritate, quam sibi ipse attribuerat, esse conatus, tamquam nec iure nec legibus creatum, Imperatorum quasi se- natu mouere, sed postulant Bauariae duce, ac tantam domui suae iniurian fallam querente, in iudicium uocatus sententia est coactus abolere, quod scriperat, ac LVDOVICVM in ea, unde deicerat, sede reponere. Prodicetus retractatio Ingolstadi anno clo 10 CXXIX.

## XXII.

**Mutatio sententiae ob priuatam utilitatem.**

Turpior longe est retractatio eorum, qui a sententia, pro qua olim propugnarunt, non ueritatis sed emolumenti sui causa deficiunt, atque contrariam, quod haec sibi utilior est, amplectuntur. Pessime profectio, quum nemo ius lucro metiri debeat. Igitur reprehendendum puto ALBERICVM, ICtum, qui, ut est apud PANZIROLVM de Clavis legum interpretibus Lib. II. C. 22, olim senescal publiceque docuerat, mortua uxore, dotem ad patrem eius reuerti, deinde uero, quum id sibi accideret, sacerdotum datam pecuniam repetentem elusit, & quin ex eo, quod alios docuerat, argueretur, se, errore tandem agnito, sententiam mutasse, facete respondit, in quo DIONYSIVM HERACLEOTEM, phisopbum, ZENONIS, Stoici, auditorem, imitatus esse uidetur, qui cum praecopere dolorem malum non esse assertebat, sed indifferentem, quam uero possea renun morbo laboraret, & impatibili dolore cruciaretur, sententiam mutauit, clamans, falsa esse, quae a ZENONE docerentur.

## XXIII.

**Quaeritur: An ICtus sententiam, quam olim defendit, casu sic ferente, contra se admittere debeat?**

Quaestione hic mouebo, non prorsus ab hoc loco alienam, an ICtus, qui in controuersia iuris certam sententiam amplexus est, publiceque defendit, eam, casu sic ferente, contra se deinde admittere cogatur. Id quod affirmandum puto ex iure & aequitate naturali, quam etiam leges ciuiles, ut deinde ostendam, agnoscunt. Nil hil, enim, est rationi conuenientius, quam ut ei iuri, quod quis aequum creditit, & in alios statuturus erat, ipse se submitat. Necesse quippe est, ut sententiam suam contrarium iniustam esse existimet. Igitur sine iniustitia postulare nequit, ut secundum eam in sua causa iudicetur. Quod uero ad ius Romanum attinet, scio equidem, editum

etum praetoris, quod in titulo D. Quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur, continetur, ad hunc, quem proposui, casum non pertinere. Ipsa uero regula, quae in L. I. §. 1. eius est, proponitur, ut scilicet, quod ipse quis in alterius persona acquum esse credidisset, id in ipsis quoque persona ualere patiatur; uniuersalis est, & per totum ius ciuile regnat, atque ad omnes casus similes accommodatur L. 44. in f. de Paclis L. 59. in f. de Admin. & peric. tut. Reddissime itaque PANZIROLVS de claris legum interpretibus Lib. II. Cap. 15. insignem probitatem BVLGARI laudat, qua is, quum uxorem filiam familias, communibus liberis superstibus, amisisset, dotem socero restituit. Docuerat, enim, antea, desundita in matrimonio cum liberis filia, dotem, uelut peculum patris proficitum, ipsi esse reddendam. MARTINVS uero GOSIA, aequitatis ratione submixus, eam uelut matris patrimonium posteritati acquirevi tenebat, qui ex hoc facto a BVLGARI socero consultus: Si mibi, respondit, qui contra te sentio, hic casus contigisset, iure fuisse absoluendus. Sed gener tuus, qui diversum docuit, sua se iam sententia condemnauit, & nisi ut falsus interpres a me turpiter reprehendi maluerit, petitam dotem reddere congetur. Ita dimissus quum generum interpellasset, BVLGARVS, ne uel sordidae auaritiae aut falsae doctrinae notari posset, ad confirmandan, quan tenuerat, opinionem, refutata pecunia, MARTINVM. Antisophistam prudenter elusit, magna cum laude conservata existimatione, patrimonii, quam famae, dispendium pati maluit.

#### XXIV. Peccant, qui contrariis inuicem argumentis in diversis causis utuntur.

Huc porro pertinent, qui in uno libro sententiam sibi, suo principi, uel reipublicae proficiam acerrime tuentur, & aduersariorum contraria argumenta strenue refellunt, deinde vero ipsis illis aduersariorum rationibus, quum eas sibi utiles uidentur, in alia causa impudenter utuntur. Evidem in bellis istiusmodi fraudes & strategem permittuntur, ut hostes suis ipsorum armis induiti oppugnemus. Notum est VIRGILIANVM illud:

*Materius clypeos Danicumque insignia nobis  
Aptemus.*

At l'ctum ista dederent. Constanſ est & perpetua iuſticia. Nec quod in una cauſa eſt iniquum, in altera sequum fieri potest. Fatoeſ igitur, me aliquando non sine ſtomacho ſcriptorem quemdam iuriſ publici legiſe, qui, quum iura Imperii noſtri in Italiā exponeret, nulla praefcriptione ea tolli poſſe, nec incuriam priſcorum Caſtarum recentioribus nocere, opeſe oſtendifſet, deinde, quum ad Re-gium Galliae poſtulata, quibus illi interdum Germaniam uicinasque gentes turbant, uenifſet, ius eorum, ſi quod habuerint, diuturnitate temporis diu expiraffe, & negligenter priorum regum amissum eſte, affirmabat. In multis quoque aliis locis eamdem praefcriptionem, prout illa uel uilis uel damnoſa Imperio aut Principi ſuo eſſet, modo oppugnabat, modo aſſerebat. Improbis profeſio. Nam iſi praefcriptio inter liberas etiam gentes locum inuenit, prout alio tempo- re & ex ratione naturali & ex ſacro Codice *Iudicium XI, 26.* oſtendemus, neceſſe eſt, ut illam tam pro nobis, quam contra nos admittamus. Eamdem, quam nunc reprehendo, inconstantiam aliſ iam ante me in AVGVSTINO animaduerterunt, qui, dum contra paganos diſputat, perſequitiones omnes in cauſa religionis uehementer damnat, ſed, quando Donatiftas aduersarios ſuos refellit, probat & per-mittit. BAYLE art. Auguſtin lit. H.

## XXV.

### Nimia subtilitas interdum contradictiones parit.

Apud alios nimia subtilitas efficit, ut in uariationes & contradic-tiones incident. Sunt, enim, ut cum SENeca de Beneficiis Lib. I. Cap. 5. loquar, quorum acumen nimis tenue retunditur & in ſe ſae-pe replicatur, qui, quum ad doctrinam, quam antea iam tractarunt, iterum accedunt, nouas ſemper rationes vident, que eos a priore ſententia deducunt. Multi certe l'cti eo uitio laborant, atque ita ani-mum ſuum continuis diſputationibus atque dubitationibus affuefec-tant, & ingenium acuerunt, ut deinde non aliena ſolum ſed propria quo-

quoque in dubium vocare & oppugnare cogantur. Exemplum nobis, quum recentiora silentio præterire malim, BALDVS dabit. Quum is parum sibi constans ac saepenumero contrarius reperiatur, id tamen non levitate, sed ingenii subtilitate euénisse, PAULVS CASTRENSIS in L. De tutela C. de in int. restit. min. ait. Ipse quoque BALDVS in Consil. 99. ad fin. vol. 2. levitatem suam sic excusat, ut intellectum, qui ratiocinatur, non semper eundem sed uarium esse dicat. Pertinet ad hanc classem Doctores illi plus satis accurati, & morosae, ut ab ERASMO Chilidae I. Cent. 2. Adagio 19. uocantur, diligentiae, qui sicut PROTOGENES apud PLINIVM Lib. XXXV. C. 10. manum de tabula tollere nefciunt, qui sine fine premunt suas lubricationes, semper aliquid addentes, adimentes, immutantes, & hoc ipso maxime peccantes, quod nihil peccare conantur. De his egregie PLINIVS Lib. IX. ep. 35: Diligentiam, inquit, in retractandis operibus ualde probbo. Est tamen aliquis modus, primum, quod nimia cura deterit magis, quam emendat; deinde, quod nos a recentioribus reuocat, simulque nec absoluuit priora & inchoare posteriora non patitur. Exemplum huiusmodi Iureconsulti ADAMI in Uitis Iureconsultorum p. 14. habet. CONRADVS nempe MYTIANVS RUFFVS nihil ymquam suorum edidit, ac IOACHIMO CAMERARIO percontanti aliquando causam, quamobrem tam pertinaciter premeret scripta sua, quum omnes arbitrarentur, & ipse quoque putaret, scriptoribus eum operam dare? Ita fieri, respondit, quia sua sibi numquam satis placent, ideoque malle se frui aliorum studiis. de PAULO EMILIO ERASMUS: Vir, ait, eximie doctus sibi numquam satisfaciebat, sed, quoties recognoscet sua, mutabat pleraque. Diceres opus non correctum, sed aliud: idque subinde faciebat. Quae res in causa fuit, ut citius elephanti pariant, quam ille quicquam edere posset.

## XXVI.

### Index sententiam latam retractare nequit.

Dicemus etiam pauca de levitate iudicis, sententiam a se prolatam

Iatam mutantis. Is quoque grauiter peccat. Nam secundum leges nostras iudex ne quidem tunc, quum errasse se animaduertit, errorrem hunc suum corrigere & sententiam mutare potest. *L. 1. C. Sent. rescind. non pos.* Postquam, enim, semel sententiam dixit, iudex esse definit *L. 55. de Re iud.* & ius parti aduersae iam quaestum est. Atque hoc non de iudice tantum dato afferitur, sed & *de praetore L. 42. eod.* & *de praefide provinciae L. 1. §. 27. de Quaest. L. 27. pr. de Panis.* Quae leges ostendunt, in causis quoque capitalibus sententiam semel pronuntiantem corrigi & mutari ab eodem iudice non debere. Optima hoc ratione constitutum est. Variationes, enim, istae perniciose forent litigantibus viamque patefacerent iudicibus pro arbitrio & libidine sua rescindendi res iudicatas, quas conservari, magnopere reipublicae interest. Neque tamen propterea iniuria sit illis, contra quos ex errore aut imperitiu[m] pronunciatur fuit. His, enim, alia prodita sunt remedia, quibus iudicem superiorem adire, atque, ut sententia iniquior aduersus se lata corrigitur, pere-re possunt.

## XXVII.

**Aduocati non solum peccant, quum praevaricantur.**

Uenio ad aduocatos, in quibus duo inconstantiae genera animaduerto, crassius unum & legibus expresse notatum, alterum subtilius, quod nec *ZIEGLERVS in Rabulistica*, qua tamen omnes improbas causidicorum artes complectitur, obseruavit. De illo primum agendum est, quod ab his committitur, qui, relicta causa eius, quem hucusque defenderunt, ad alterum transeunt, eumque aduersus priorem clientem suum tuentur. Nolo hic disputare, quod non nullos facere uideo, utrum istud aduocatorum crimen ad falsa, an ad praevaricationes referendum sit. Non puto tamen errare, qui inconstantiam istam praevaricationem dixerit, propter *L. 212. de uerborum signif.* ibi : *ex parte actoris in partem rei concedunt* & *L. 4. §. 4. de his qui notantur inf.* ibi : *ex utraque parte confitit.* Sed qualecumque tandem huius criminis nomen sit, certum est, peccare aduo-

aduocatum eiusmodi, puniri que debere. De poena autem vide *Constitutionem CAROLI V. Art. CXV.* Ceterum quod ad distinctionem attinet, quam nonnulli Doctores apud CLASENIVM ad dicitur art. CXV. adhibent, ut si controvērsia iudicialiter uentilanda in facto constat, aduocato ad partem diuersam transire non licet, sed si in iure tantum, id eidem permisum sit, non video, quomodo ea heic locum inuenire queat. In omni controvērsia iuris & facti questio[n]es concurrunt, sive, ut cum ALFENO in L. 52. §. 2. Ad L. Aquiliām loquar, ius semper in causa est possum. In omni iudicio officium iudicis est, ius ad facta obuenientia applicare. Et aduocati non ad iura explicanda, quae magistratus nosse deber, sed ad factum perspicue proponendum adhibentur. Nullae itaque essent aduocatorum partes, si lis in iure tantum uerteretur. Sed facta etiam, super iure solo, non facto, disceptari; peccaret tamen aduocatus, qui, deuerta causa, quam in iure fundatam esse semel agnouit, deinde contraria amplectetur. Alterutra, enim, non potest non iniusta esse. Accedit, quod in L. 212. de Uerb. sign. ex parte actoris in partem rei concedere, in L. 4. §. 4. de his qui not. infam. uero, ex utraque parte confidere, ad praeuaricationis crimen simpliciter refertur. Nullum ergo heic locum distinctione supra allata habebit. Ex eodem fundamento refellitur quoque sententia ACCVRSSI in L. ult. de Poſſuando statuentis, aduocatum in causa appellationis variare, eumque, quem in prima instantia defendens, oppugnare posse. Reste etiam ZIEGLERVS in Rabulistica C. XXV. refellit PAVLVM de CASTRO existimantem, posse aduocatum, uisis instrumentis & probationibus unius partis, si pars illa iustum praestare salarium recuser, alteri in iudicio adesse. Nec ferenda est opinio NEUIS, qui P. IX. Decis. 173. illum aduocatum non praeuaricari dicit, qui, quum uni parti operam praestitisset, deinde ab hac dimissus eamdem aduersae praestat. Vide Zellische Hof-Gerichts Ordinung P. I. tit. 8. §. 17. ibi: wider diejenige, denen sie zumal zu dienen auf sich genommen. Et recte Seabini Lipsiensis apud MARTINI in Procesu Tit. III. §. 1. n. 20. multarunt causidicum, qui in concurso creditorum curatoris litis officium, simul uero unius ex creditoribus causam defendantam suscep[erat]. De cetero insigne praeuaricationis exemplum DEMOSTHE-

NES apud PLVTARCHVM in *Vita eius* praebet, qui in uno iudicio duas orationes conscripsit, quarum altera actor, altera reus uteretur, opifices imitatus, qui ex una saepe gladiorum officina aduersariis pugiones, quibus dimicent, uendunt. Animaduerter quoque aliquando in actis, aduocatum filii, qui ius uenandi cuidam praedidit equestris possessori ex officio euincere debebat, tam frigide egisse, ac argumenta sua, & quas sine dubio contra probationes aduersarii habebat, exceptions omisisse, ut ICTi, quamvis praevaricationem pertiniserent, litem tamen secundum eum dare cogerentur.

## XXVIII.

**Sed & quum causas sibi contrariantes defendunt.**

Subtilius aliquantulum peccant isti causidici, qui in diuersis processibus contrarias iniuicem sententias defendunt, &c, quod modo acerrime oppugnarunt, in alia causa & iudicio magna contentione affirmant. Videas aliquando aduocatum, dum ex parte virginis stupratae aduersus stupratorem consistit, multa pro cliente afferre, que, interiectis paucis diebus, in alia causa, ubi stupratorem quedam tuetur, operose refellit. Videas eum modo pro testis cuiusdam habilitate pugnare, quem in alio iudicio suspectum reddere laborat. Aliis exemplis fora quotidie perspiciunt. Sed quid improbum magis esse potest, quam sordidi lucelli causa id, quod modo iniustum iudicasti, nunc pro bono & aequo uenditare. Aut ergo iustitia non est constans & perpetua uoluntas, aut aduocati illi iniustitiae notam non effugient. Nemo itaque cordatus M. ANTONIVM, Oratorem, excusabit, qui apud VALERIVM MAXIMVM Lib. VII. C. 3. §. 5. idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiori iudicio actum ei, quem postea defensurus esset, nocitum foret, non dictum a se affirmare posset. Ut uero unusquisque impudentiam priscorum aduocatorum Romanorum contraria afferentium rectius intelligat, insignem ex CICERONIS Oratione pro CLVENTIO locum integrum heic exscribam : *Ego uero, si quid eiusmodi dixi, neque cognitum commemoraui, neque pro testimonio dixi, & illa ora-*

110

rio potius temporis mei, quam iudicij & auctoritatis fuit. Errat uebemter, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habemus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum & temporum sunt; non hominum ipsorum ac patronorum. Nam si causae ipsae pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem. Nunc adhibemur, ut ea dicamus, non, quae nostra auctoritate consiliuantur, sed, quae ex re ipsa causa ducantur. Hominem ingeniosum, M. ANTONIUM, ait solitum esse dicere, idcirco se nullam unquam orationem scripsisse, ut, si quid aliquando, quod non opus esset, ab se esset dictum, posset senegare dixisse. Ego vero in isto genere libenter cum multorum, tum hominis eloquentissimi, & sapientissimi L. CRASSI auctoritatem sequor, qui, quum I. PLANCUM desenderet, accusante M. BRUTO, homine in dicerendo uebemente & callido, quam BRUTUS, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset, aliquantum esse commotus dicitur. Itaque in respondendo exposuit uestiusque rationem temporis, ut oratio ex re & causa habita uideretur. Ego autem illa recitata esse nos moleste fero. Neque enim, ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea causa, quae tum agebatur, aliena fuerunt. Neque mihi quidquam oneris suscepit, quoniam ita dixi, quo minus honeste hanc causam & libere possem defendere. Nihil profecto est hac excusatione impudentius, nihil oratore, nihil Icto indignius.

## XXIX.

## Leuitas ICTORUM religionem temere mutantium.

Restat, ut pauca de Ictis, qui inconstitiam suam non tam in scriptis, quam vita & moribus prodiderunt, adiciamus. Inter eos commumerabimus potissimum, qui temere sacra mutarunt, atque a religione in aliam iucri spe aut ambitione ducti transferunt. De BICKISCHIO supra iam in §. XV diximus. De REINHARDO BACHOUIO vide PRASCHIVM in Mausoleo TABORIS. Sed ceterorum omnium leuitatem longissime superauit FRANCISCVS BALDVINVS, Ictus Gallus, si uera sunt, quae illi obiicit ANTONIUS

GVAERINIVS epist. ad BALDVINVM apud RIUETVM Oper.  
Tom. III. p. 1127: Septies, inquiens, bis viginti annis religionem muta-  
sti. Non saepius fere serpentes pellem mutant. Educatus es apud  
tuos in Flandria Papistice. Postea Geneuae Christianam religionem  
professus es, coque nomine aliquoties ad Corporis CHRISTI communio-  
nem accessisti. Inde Lutetiam profectus Papisticum habitum recepisti.  
Mox Genueam reverfus, & in CALUINI contubernio, mensa, fami-  
iliaritate, mensis multis commoratus, iterum Euangelici nominis factus  
es. Postea Biturigibus ad Papicam idolatriam, & tamquam canis  
ad uomitum, rediisti. Inde Argentoratum profectus, Euangelicum te  
professus es: cum PETRO MARTYRE uixisti: coenam dominicam in  
Gallorum Ecclesia amplius decies participasti. Mox Heidelbergam de-  
latau confessioni Gallicarum Ecclesarum, sub qua paulo ante coenam do-  
minicam duodecim funseras, bofis factus es, & ESSVSSIANIS te  
partibus dedisti. Tandem in Galliam reverfus, quartum Papista fa-  
ctus es. Horum si quid falsum aut fictum sit, uolo, ut mibi oculos eruas,  
aut, ut calumniatorum tuum supplicium imicemur, crura mibi suf-  
fringas. Et ob hanc ipsam in religione uariationem BALDVINVM  
Eccebolium appellatum fuisse, THEODORVS BEZA in scripto, quod  
contra BALDVINVM edidit, testatur.

## XXX.

**Uel officia sua cum nouis dignitatibus fa-  
cile commutantium.**

Istorum quoque ICtorum leuitas merito reprehenditur, qui am-  
bitione aut avaritia induxi locum, in quo constituti sunt, temere  
mutant, desertoque legitimo munere, nouas semper dignitates, noua-  
que stipendia, ingrati & immemores acceptorum a priore domino  
beneficiorum, auecupantur. Evidem uitium istud commune erudi-  
torum esse scio, ut non contenti praesente conditione nouam semper  
& lautiorem quaerant. Plena sunt imprimis Patrum scripta, plena  
Conciliorum decreta, plena iura canonica querelarum de Clericorum  
& Theologorum inconstantia, quod illi, ut HIERONYMI uerbis in  
Epist. ad OCEANUM utar, uirginis pauperculae societate contenta,

ditio-

ditoris adulterae querant amplexus. Et apposite admodum *Concilium Sardicense* can. i. *Ne cui, ait, licet Episcopo, de ciuitate sua ad aliam transire ciuitatem.* Manifesta est, enim, causa, qua hoc facere tentat: *quam nullus in hac re inuentus sit Episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transiret.* Unde apparet, avaritiae ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & ut dominationem agant. Uide quoque c. 19. 25. 26. VII. q. 1. nec non c. 2. & 3. X. de Translatione Episcopi. Sed prae reliquis omnibus ICtos hac in parte peccare uideas. Quodsi enim uitas eorum euolua, paucissimos reperias, aliquam falem nominis celebritatem adeptos, qui non bis uel ter locum mutarint, haudquaquam honoris diuini & boni publici causa, tametsi eam prætexant, sed ut stipendium augeant, & dignitatem amplificant. FRANCISCVS ACCARISIVS, ICtus in academia Senensi summus, ex Gymnasio suo se a Parmae & Placentiae Principe assiduis invitationibus ac oblato Confiliarii titulo euocari, deinde a Magno Etruriae Principe nouis conditionibus reuocari passus est. Atque tamen ille constantias famam non perdidit, quam in eo summis laudibus effert ERYTHRAEVS in PINACOTHECA P. II. C. 25. Quodsi ergo uir constans, &, qui secundum ERYTHRAEV M nullam spem lucri, quamvis magni, patriae caritati anteposuit, toties potius variare; quid non illis accidet, qui constantiam tales, fixumque ac stabile propositum non habent. De BALDVINO in praecedente §. diximus. Nulla potest esse in iuuenie luxuriosissime uiuente tam uaga libido, ut inconstantiam BALDVINI tot scholas & academias percurrentis aequet. Turpiores tamen longe fuerunt ALCIATI artes, qui nouas sibi uocationes procurauit, non hac mente, ut obsequeretur, sed ut augmentum stipendi obtineret. Ipsum audiamus in Epistolis GVDII p. 79. *De Patavino*, inquietem, aut Bononiensi Gymnasio tibi mandata dederim, non quod in bas academias uenturus sim, sed quod Auenionenses, si scierint ab aliis quoque me sollicitari, ne eos deseram, timebunt & augebunt stipendia. Quare cum eis potissimum uelim haec dissemines, quos conieceritis idoneos esse, ut in Auenionensem academiam literas barum rerum indicet. Utebatur itaque arte ista ALCIATVS, quam ERASMVS amico suo per iocum in Epist. XIII. L. VIII. commendat: *Noſti, in-*

quiens, τὴν Βειταρινὴν ἔγλωτον πίστιν. Hac in tuum bonum abutere. Duabus sedeto sellis. Suborna diuersos procos, qui te amiane. Minare & appara discessum. Ostende literas, quibus magnis pollicitis auocaris. Subducito te nornumquam, ut subracta copia desiderium acuat. Bene tamen fraus ista cessit ALCIATO. Quum enim, Biturigibus constitutus callide effecisset, ut Patarium vocaretur, immense quantum audio stipendio, apud Bituriges remansit, teste uosso Epist. XLVIII, p. 91. & 92. Prudentius fecissent Bituriges, Bononienses imitati, qui, quum praefessissent, FRANCISCVM ACCVRSIUM in Galliam abiturum, non audio stipendio, sed poena publicationis honorum indicta, praeceperunt, ne recederet; atque quum ipse ciues elusurus, omnibus amico uenditis, discederet, bona nihilominus publicarunt, eaque non nisi reuerso restituerunt; ut narrat PANZIROLVS de Claris legum interpretibus Lib. II. C. 29.

## XXXI.

## Uel iurisprudentiam sine iusta causa desentientium.

Dicendum etiam est, sed paucis, de inconstantia illorum, qui, reclita Iurisprudentia, ad aliud uitae genus se conferunt. Nolo equidem illos, qui iustis rationibus inducti instituti sui & virae rationes mutant, uituperare. Uidimus ICtos, qui ex aliorum scholis ad nostrum ordinem transferunt, felicissimos & ad summum plerumque fastigium euctos fuisse. Nemo ignorat, viros summos, BRVNNEMANNUM, STRAUCHIUM, SCHILTERUM, ZIEGLERUM, STRYKELIUM, antequam ad Jurisprudentiae sacra accederent, Theologorum scholas frequentasse. ARNOLDUS etiam CORVINUS, religio, quod apud Lugdunenses iam occupauerat, sacerdotio, ICtum se fecit, & immortalem in hac arte glorian consequitus est. At hi summis rationibus ad uariandum inducti sunt. Sed temere uiam, quam semel ingressus es, deserere, maximum est lenitatis argumentum. Et obseruui, multos, qui ex ICtis ad alios transfigurerunt, fortunam minus propiciam sensisse, & famam atque celebratatem nominis, si quam adepi sunt, insigni quodam errore aut flagitio commaculasse. QUID VS,

us, teste SENECA, primum oratoriae arti atque Iurisprudentiae operam dedit, & egregie in illis profecit, ac centumuralia iudicia exercuit. Deinde uero, deserto foro, immersit se poëeos studio, & lascivis carminibus spurcam apud libidinosos homines laudem nauis est, meritissimo tandem exilio, in quo etiam periit, multatus. Non multum absimile fatum fuit IOANNIS BAPTISTAE MARINI, Itali, qui diu etiam ICTOS sequutus, tandem ad Poetes transiit, carminibusque suis, quae tantum libidinem & luxuriam spirant, nomen aliquod apud improbos, simul uero odium apud cordatos viros consequutus, & per integrum uitam suam cum exilio & miseriis consuetus est. Uide 10. FRANCISCVM LAVREDANVM in *Uita MARINI*, qui tamen, quum MARINVM iura primum didicisse scribit, inepte satis adiit: Oceanum legum optima & felicissima ingenia absorpsisse. ACOSTA felix fuisset, si in Iurisprudentia, quam primum elegerat, mansisset. At quum deserta illa, Theologum se & subtiliorem Philosopham saceret, in Iudeorum primum, deinde Atheorum errore incidit, & tandem uitam sibi ipsi ademit, ut narrat LIMBORCH in *Exemplari humanae uitae*. Nihil dicam de AGRIPPA, qui ab initio Doctor Iuris, postea animum ad alia studia applicuit, & in magiae suspicionem incidit, perpetuisque calamitatibus hue inde iaelatus fuit. Insigne est THEOPHILI MILETERII exemplum apud SAMVELEM MARESIVM in *Antichrisio reuelato Lib. II. C. ult.* Is Heidelbergae leges didicerat, diuque professionem aduocati exercuerat. Sed, quum aliquando in frequenti senatu obmutuisset, reliqua Iurisprudentia ad Theologiam adspiravit, sed satis infelicititer. Scripta, enim, eius carnificis manu combusta, ipse equulei dolores diuturnique carceris squalores perpessus fluctuans animi sua graves dedit poenas.

## XXXII.

### Laudabiles retractationes legumlatiorum.

Illaudabilis fuit, quam hucusque descripsimus, ICTORUM inconstancia. Saepe uero, ut iam ab initio monuimus, illa laudem mere-

meretur. Uidimus itaque summos ICros, qui, salua auctoritate sua, sententiam, quam olim defenderunt, mutarunt publiceque retractarunt. Ipsis adeo legumlatoribus hoc licere, arbitramur. Nam, ut recte IOANNES XXII. Pontifex in c. vii. de Tornementis in Extravag. In futurorum, inquit, eventibus sic humani fallitur incertitudo iudicij, ut, quod coniectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio uile pollicetur, reperiiri damnosum quandoque contingat; non nunquam, quod consulte statuitur, ex senioris inspectione iudicij consilios revocatur. Et BALDV apud PANZIROLV de Claris legum interpretibus Lib. II. cap. 70. mirifice Episcopo Ticinensi roganti, cur leges toties ac tam facile mutarentur, respondit; legumlatores medicorum instar, pro temporibus remedia parare; id, enim, esse iustum, quod temporibus conuenienter, & propterea, quae in pace uentantur, in bello, licere.

## XXXIII.

**Legislator recte mutat legem, et si se eam non  
mutaturum dixerit.**

Atque tunc quoque legislatori permittimus, mutare legem suam, quem ipse facultatem mutandi sibi, adiecta legi formula, ademit. Occurrunt subinde huiusmodi leges, in quibus conditores, numquam se illas mutatueros, pollicentur. In Constitutione FRIDERICI Imperatoris de Incend. & pac. uol. haec reperiuntur: *Uolumus, ut hæc tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat, & perpetuo iure servetur.* Et BONEINIVS de rebus Hungariae, legibus ANDREÆ regis adiecum fuisse, memorat; *Ea ut hæc nostra tam concessio quam ordinatio sit nostris nostrorumque successorum temporibus in perpetuum ualitura.* Ipse denique CAROLVS IV. in Aurea Bulla: *Hac, ait, editissi & perpetuum ualitura lege sancimus.* Non obstante tamen eiusmodi formula, posse legislatorem eiusus successores ius statutum, si modo cum Ordinibus prouinciae sue padum nullum de conservando illo iniit, publicae utilitatis causa tollere nouumque facere, existimamus. Recta, enim, ratio indicat, neminem sibi ipsi obligationem, a qua recedere nequeat, imponere posse. Neque igitur peccarunt Cæsar Imperiique Ordines, quod Auream Bullam, istam perpetuum ualitatem legem, in plurimis capitibus mutarunt.

## XXXIV.

## XXXIV.

**Uel etiam iusurandum adie-**

**cerit.**

Neque aliud dicendum putamus, tametsi legislator legem suam iureiurando confirmaret. Iusurandum, enim, per se efficaciam non habet, sed accedit saltem negotis validis, & obligationem, quam illa induxerunt, confirmat, si uero ea nullam habeant; nouam non constituit, multo minus ueterem, quae iam adest, tollit. Princeps igitur, cui salus reipublicae suprema lex & obligatio est, tollere hanc & se ipsum iureiurando ad ius tolle, quod aliquando pro conditione temporis reipublicae perniciosum esse potest, perpetuo seruandum obstringere nequit. Temerarium potius foret iusurandum tale, quam obligatorium. Iurauerant Lacedaemonii, seleges, quas suadente LYCURGO receperant, non abrogatueros, ut PLUTARCHUS in LYCURGO narrat. Nihilominus deinde, auctore CLEOMENE, recte sustulerunt legem de non admittendis peregrinis, quum propter penuriam hominum agros suos incursionibus hostium exponi animaduerterent. Non dum ex memoria hominam excessit Edicatum illud perpetuum, quo Bataui superiore saeculo faixerant, ne quis unquam reipublicae gubernator aut prouinciae praeses crearetur. Subscriperant illud & iureiurando firmarant magistratus omnes, atque inter hos ipse GULELMUS, Arau-  
tionis Princeps. Quum tamen inter funestissima bella, quae quadam velut conspiratione facta anno 1672. in Batauiam confluebant, & republica esse uidetur, rectorem iterum constitui & reducere pristinam praefidis dignitatem; magistratus omnes edictum istud aboleuere, ipseque Princeps non detracuerit oblatum munus, sine omni, ut ego puto, peritii metu. LUDOUICUS XIV. Galliarum Rex, severissima lege priuata certamina, quae duella vocamus, interdixit, atque, ut GULELMUS RIBIERIUS, Tomo I. des Lettres & Memoires d'Etat sous les Regnes des FRANCOIS I. HENRI II. & FRANCOIS II. memorat, fidem regiam & iusurandum solenne interpolauit, se statutas in lege ista poenas exequaturum, neminemque, quaecunque etiam causa forer, exempturum. Facile tamen excuso, quod ille postea quibusdam, quos seruari reipublicae intererat, poenam remisit.

## XXXV.

Exempla laudabilis retractationis ex iure  
Romano.

Afferam uero aliquot ex iure nostro Romano mutatarum ab ipsis latoribus legum exempla. Omnia elegantissimum est, quod in L. 17. pr. de Iure Patronatus reperitur, ubi AELIANUS: *Divi, inquit, fratres;* MARCUS scilicet ANTONINUS PHILOSOPHUS & AELIUS UERUS, in hac uerba rescripsierunt: *Comperimus a peritoribus, dubitatum aliquando, an nepos &c. & PROCULUM sane non leuem iuris atatem in hac opinione fuisse, cuius sententiam nos quoque sequui sumus, quamuis rescriberemus ad libellum CAESIDIAE LONGINAE, sed, quamvis MARCIANO, & alii amici nostris iurisperitis addibitis, plenius tractaremus, magis uisum est &c.* Omnes IUSTINIANI retractationes enumerare, longam nimis forerit. Igitur non nisi aliquas commemorabo. Tulerat Legem 23. C. de S. S. Ecclesiis, qua centum tantum annorum praescriptionem Ecclesiis opponere iuss erat. Quam tamen quam iniquam uideret, sustulit iterum in Nouella CXI. hac praefatione uulsi: *Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotii.* Unde consequitur, ut nonnumquam a iudicio discordet effectus, & quod credebat conjectura prodeesse, experimento inueniatur inutile. Uide quoque Nouellam CXIX. C. 9. qua L. 29. C. de Testamento a se ipso latam abrogat. Adde Nouellam CXXVII. qua Nouella CXVIII. tollitur, & in qua sic praefatur Imperator: *Nostras leges emendare nos non piget, ubique utilitas em subiectis inuenire uolentes.*

## XXXVI.

Integrorum Collegiorum licitae retracta-  
tiones.

Integra quoque ICtorum Collegia cedere ueritati, & sententiam, quam maiores eorum uel ipsi etiam olim defenderunt, retractare non erubescunt, si, re rectius considerata, contrarium aequius deprehendant. De ipsa Imperii Camera hoc affirmant ULTÉIUS Conf. Marburg. 34. Vol. I. n. 53. ctius uerba supra in §. 9. attuli. Nec defunct exempla, quibus summum tribunal, quod Viennae nomine Caesarii ius dicit,

dicit, ad supplicationem uel reuisionem a partibus petitam, priorem a se latam sententiam immurauit. Non dicam de aliis Collegiis. Ipse, qui alteri ICTorum Ordini nunc affideo, animaduerti, uiros prudensissimos & eruditissimis laude per universam Germaniam celebres non dubitassem, sententiam inueteratam & a maioribus acceptam deferere, sicuti contraria aequitati & legibus magis conuenire, luculentis rationibus ostenderetur. Uide exempla apud BERGERUM in *Supplementis ad Electa Disc. For. P. II. p. 458. & 459.* & GRIENERUM de *Intercessione coniugum in delictis carnis* §. 62, qui ultimus mirifice proflus: Grauissimum, inquit, est, quo haud pauci ICTorum laborant, praetiudicium; praetiudicia ita, enim, appellant res iudicatas, ius sacre, quasi legum cultorem decoret, non, quid iudicari debuerit, attendere, sed, quod fuerit iudicatum. Itane uel centum sententiae contra solidam iuris rationem latae efficiant, ut impostrerum quoquenon licet rectius sentire? Nihil puto indignius esse libero homine, non dicam iustitiae sacerdote, quam malle cum maioribus errare, quam sine iis sapere; errorum ueritati, obseruantiam iuris rationis, praetiudicia legibus praefervere. Imprimis uero impium & cruele foret, obseruantiae idolo humanae immolare uictimas, & ubi de hominis sanguine agitur, sine lege, sine solidâ iuris ratione capitalem dicere sententiam, quia alii bona fide dixerunt olim.

XXXVII.

### Exemplum ordinis ICTorum in Academia Iulia.

Sed afferam exemplum, quod ipse contigisse recordor. Decesserat quis, nullo condito testamento. Antequam tamen moreveretur, eum, qui ab intestato sibi successurus erat, aduocarat, siveque illius commiserat, ut amico cuidam certam pecuniam sumimam exsolueret. Ualebat sine dubio hoc fideicommissum, tametsi nulli testes adhibiti essent, ex L. ult. C. de Fideicommissis. At probatio eius necessaria erat, quod haeres, quidquam se a testatore audiuisse, negaret. Praesentes quidem fuerant duo testes, iisque omni exceptione maiores. Hos offerebat fideicommissarius. At haeres admittere illos nolebat, sed iurandum sibi ex dispositione all. L. ult. deferendum, nullique alii probationis generi locum esse, aiebat. Fideicommissarius contra respondebat;

F 2

perifile

periisse causam suam, si haereditas iuriuando stari oporteret, illum lucidum  
causa uel certes poieraturum, subsidiariam esse probationem per iuris  
iurandi delationem, eam, si testes uel documenta ad sint, a iudice circa  
uitanda per iuria prouido nec admitti quidem debere, nec obesse sibi *Laz gem ult.* *C. de Edeicommissis*, quae iuris iurandi tantum mentionem faciat;  
eam quippe restringendam esse ad casum, qui frequentius contingit,  
quam moribus nullis, aut inhabiliibus testibus adhibitis, solus ha-  
redis praesens conscientiam onerat. Petebat itaque, ut testes sui ex-  
aminarentur. Nec quisquam ex Collegio erat, cui non acquisissimum  
id postulatum uideretur. Obstabat grauiter contraria obseruantia, de  
qua *BERGERUS* in *Supplementis ad Discept. For. P. I. p. 191.* testatur.  
Sed peruiicit iustior sententia, ut secundum illam, neglegta prista opinio-  
ne, Mense Novembri anni 1710. pronunciaretur. Tulerat non ita  
pridem Ordo ICtorum Helmstadienium sententiam, rectam ceteroquin  
& iuri communi exacte conuenientem, de conjugum successione. At  
alter litigantium per querelam nullitatem eam impugnabat & contrariam  
in urbe sua confuetudinem, quam ICTI si ignorauerant, uigore assere-  
bat, atque argumentis clarissimis ostendebat. Nec detreflabat, quum  
super nullitate ista pronunciandum esset, acta ad idem collegium remitti,  
candori eiusdem consilis. Neque sefellimus spem. Paucis, enim, ante,  
quam haec scribo, diebus sententiam a nobis conceptam, tamquam  
iuribus eius loci contrariam, nullamque, rescidimus & in diuersam  
concessimus.

## XXXVIII.

**I**CTI singuli honeste se retractant idque uel spon-  
te faciunt, exemplo **PAPINIANI**,

**VLPANI, IULIANI, SCAE** conspicuus  
**XO VINCULIDI** in **UOLAE.**

Tandem ex ICTIS singulis viri magni nominis saepe errores suos  
ingenue confessi sunt, atque ea, quae minus accurate scriperant, pu-  
blice retractarunt. Nonnulli sponte & a nemine moniti id fecerunt.  
Nonnulli ab aliis rectius edociti priorem opinionem suam abiecerunt,  
monstrataque sententiam amplexi sunt. De illis primum dicemus.  
Inter antiquos eminet **PAPINIANUS**, quem **DIOCLETIANUS** in *L.*

14 C.

14 C. de Praediis & aliis rebus min. prudentissimum, IUSTINIANVS,  
in L. 30 C. de Fideicommissis acutissimi ingenii virum & merito ante alios  
excellenter appellat. Variavit tamen ille atque in contraria declinavit  
sententias. Ita quippe IUSTINIANUS in L. 22 §. 3 C. de Furtis: La-  
cet, inquit, ab antiquis uariatum est, & ab ipso PAPINIANO, in con-  
trarias declinante sententias; tamen nobis, hoc decadentibus PAPINIA-  
NUS, hoc uariauerit, eligendus est, non in prima, sed in secunda eius  
definitione. PAPINIANO iungo UPIANUM, cuius non minor est  
auctoritas. Illum quoque subinde sententiam mutasse colligo ex  
Constitutione IUSTINIANI de Emendatione Codicis §. 3. IULIANUM,  
quem IUSTINIANUS iuris sublimissimi testem & summum auctorem  
iuris scientiae notat, se retractasse, CUIA CIUS ad AFRICANUM  
Tractatu IV p. m. q12 ostendit ex L. 19. §. 5. Ad SC. Uellei. Idem fecit  
SCAEUOLA, & in inferioribus ea, quae ante dixerat, mutauit, uti ex  
L. 23 §. 3 de acquir. rer. domin. apparet. Ceterum retractationes illas ab  
antiquis ICtois repetitas praelectiones appellatas fuisse, IUSTINIANUS  
in Condit. de Emend. Codicis testatur: In antiquis, inquiens, libris non  
solum primas editiones, sed etiam secundas, quas repetitas praelectiones  
ueteres nominabant, subsequitas esse, inuenimus.

XXXIX.

GOUEANI, CARPOUII, ZIEGLERI, BERGE-  
RI, THOMASII.

Inter recentiores ICtois primum ANTONIUM GOUEANUM  
nominabimus, de quo ita HOTOMANNUS in Antiriboniano C. VII.  
Hoc loco, ait, factum GOUEANI notandum est, qui in publicum edito  
libro de iure accrescendi, postquam DUARENUS item de ea re rescriperat,  
sed proorsus alter, quam ipse, GOUEANUS post decennium circiter li-  
brum suum retractauit, his uerbis in prefatione operis usus: Sententiam  
burus legis ut ante me fortassis nemo, ita negauit ante hunc diem ego intellexi.  
CARPOUUS P. I. C. 29 def. 10 cum Scabinis Lipsiensibus affirmauerat,  
in renouatione arresti momentum quoque temporis & horam obseruari  
debere. Deinde uero Lib. IV. Resp. 37 ingenue fatetur, se istam opinio-  
nem, quod solido destituantur fundamento, reliquisse. Idem CARP-  
ZOURO contigit circa quaestionem, an depositario super dolo ab eo

commissio iuriandum deferri queat. Negauerat eam prius *P. I. C. 12*  
*def. 31* iterum Scabinorum auctoritatem sequutus. Postea autem in *De-*  
*cione 231* aientem sententiam tuerit, faceturque *n. 13*, posteriores cogi-  
tationes longe saniores esse prioribus. Negauerat *ZIEGLERUS ad*  
*GROTIUM Lib. II. C. 2 n. 5*, Principem quidquam posse circa modum  
acquirendi ex iure gentium prouenientem, nec impeditre legem ciui-  
lem, ut capienti sera capta non acquiratur. Sed, ait *de Iure Maiestatis*  
*Lib. II. C. 14 §. 25*, uti devrēque *Q̄o v̄t̄d̄s pl̄eramque sapientiores esse fo-*  
*cent*, quam a graviitate ICtri non sit abboriens, in eo praescipto non immo-  
*rat̄*, quod aliqua tua noua accusatione falso esse compereris, uti loqui-  
*tur PETRUS COSTALIUS in Parerg. n. 7.* ita etiam mibi emendatio-  
*eius*, quod ante bac posui, non erit uirio uertenda. Ex his, qui hodie  
uiuunt, duos illustres maxime viros, qui instar mihi omnium erunt,  
*seligam, BERGERUM & THOMASIUM*. Ille in *Enarratione Legis 2*  
*C.* *Qui & aduersus quos in integrum mutat sententiam, quam ante*  
*publico scripte defenderat, atque imprimis in §. 31.* egregie istam retrac-  
*tationem* suam excusat. Hic uero doctrinam suam de iure naturae,  
*quam in Jurisprudentia Divina proposuerat, deinde reformati penitissi-*  
*me, ipsumque adeo, quod ante stabilicerat, fundamentum bis subuen-*  
*tit.* Legem quoque diuinam uniuersalem, quam multi quidem ante e-  
*um, nemo tamen clarius ipso proposuerat, stabilitam ante magno con-*  
*tra, postea sublicere annis eff.*

## LX.

*Uel ab aliis admoniti, quod rarissime*  
*fit.* Rariora longe sunt exempla ICtorum, qui ab aliis admoniti in uiam  
*se reduci passi sint.* Pudet plerosque fateri, alium clarius ipsi rem per-  
*spexisse.* Si quid emendant, hoc sibi ingenioque suo tantum debere  
*uolunt.* Atque hinc est, quod nihil fere frequentibus illis disputationi-  
*nibus effici & ueritatem per illas implicari magis quam explicari uide-*  
*mus.* Quis umquam praefes firmissimis licet contradicentis rationibus  
*conuictus, sponte cessit?* Etsi nihil habet, quod respondent, respondet  
*tamen, & rem multis verbis atque ambagibus inuolnendo efficit, ut un-*  
*gus auditorum, resoluuisse illum dubia, se uero subtilitates eius non caper-*

10,

re, credit, CASAVBONO, ut MENAGIVS in MENAGIANIS p. 194. narrat, aedificia academiae Parisiensis lustranti ostendit quidam conclave, atque in eo per quadrigentos iam annos disputari dixit. Tum apposite CASAVBONVS: *Quid uero tot disputationibus decisum fuit?* respondit. Hoc in disputationibus, quae ore, inter praesentes habentur, fit. At, quum in scriptis disputatur, aliis artibus opus est, ut ii, qui teneri se sentiunt, elabantur. Maxima pars responsoris comitius in personam aduersarii conieclis, absolutitur, rationes fortissimae, quae oppositae fuerunt, aut praetereruntur quasi per contemptum, aut breui scommate & faceta, ut communis uerbo utar, instantia irridetur magis, quam reselluntur; leviora uero argumenta & cetera, quae dissidentis ornamenta saltet causa addidit, magna uociferatione exploduntur, adscitum allegationum undique ex legibus auctoribusque corrasarum nubes, qua impenitus lectors occaecati, illum egregie responderisse, quaque defendisse, putant. o Paucissimi sunt, qui ueritati cedant, aduersarii inquit rectius sensisse fateantur.

XLI. Laudabilis retractationes PAPINIANI, HV-

BERI, THOMASII, SCHUUEDERI.

Fuerunt tamen aliqui ingenii bonique viri, qui facere id non delectarunt. Prodeat iterum in medium PAPINIANVS. Is in L. 6. §. i. de seruis exportandis postquam, quid sibi aliquando placuerit, exposuit, SABINI, sententia fei in contrarium vocatum suisse, ait. Quod dum CVIACIVS Lib. II Obs. 37, memorat, eleganter adicet: Utinam, qui hoc tempore us nostrum interpretantur, PAPINIANVM imitari, quae vel falso vel inepite aliquando & senserint & scripserint, ingenue retrahent, nec in eis contra, quam posse rescuerint, tam obfirmato animo, uti faciunt, perseverent. Ex recentioribus addo, HVBERVM, qui in Praelectione Praelectionum ad Pandecias: Vir, inquit, CL CHRISTIANVS THOMASIVS, editis pluribus scriptis iam pridem famam nobilem adcepit, quum positiones nostras ad Institutiones & Pandecias publicis exercitationibus repeteret, scholis passim adiecit mea dicta brevia uel expedita vel supplevit, suas quoque sententias a meis discrepantes aliquando adicet. Et quia D. THOMASIVS liber satis, non tamen acerbe in meis uerbiatus est, eodem temperamento respondendi sumus. Nec forte aliquid, quod tamen an ter acciderit, haud menim, aliquid me fugisse, quod ipse me-

lius

Ius uiderit, dissimulaui : quod si fecisssem, hominis id esse merito sibi dif-  
fidentis & ieiune ambitiosi dicoeretur. *¶* Cur, enim, quem totas refello, non  
aliquando laudem, qui a discipulis meis saepe me doctrinam effe non grauatus  
sum fatur? Ut, qui hoc mihi probro impunem, ita ego nisi perio preefero  
quam ut aliquando intelligent, solam esse optimum uiuendi rationem di-  
cendi cupiditatem, & quam procul ab hoc instituto absint, qui mutare senten-  
tiam dedecet esse putant. Si Deus mihi praefset, ut in sepe uagisimum  
aetatis annum, quaque POMORONIVS nosfer illam uiuendi rationem se-  
quarum se affirmat, utrum quo fruor, continuare queam, numquam piget  
bit, ab alio dicere & emendare, quae scripsimus. Retulit autem HV-  
BERO gratiam THOMASIVS, atque, cum iterum HVBERI Prae-  
le-  
giones Lipsiae anno 1706, ederentur, in Additionibus saepe suam re-  
liquit, & in HVBERI sententiam concessit. GABRIEL SCHUVEDE-  
RVS quoque, cum Introductionem suam in ius publicum denuo promul-  
garet, benemónita ANICOLAO CHRISTOPHORO LYNCKERO in  
Analeclis ad hanc Introductionem, grata mente, ut ipse in praefatione  
profistetur, exosculatus emendavit.

### XLI.

Interdum Ictus contrariam sua sententiae op-  
inionem cum collegio, cui assidet, tuerit.

Ultimum denique locum isti Icti occupabunt, qui sententiam qui-  
dem suam non mutant, sed, dum Collegio assident, in quo contraria opin-  
io recepta est, illam quoque amplecti & secundum eam pronunciare  
necessē habent. Accidit hoc frequentissime. Quum, enim, in colle-  
giis, quod maiori parti placuit, a ceteris quoque probari debeat, nulla  
diffidentium ratio habetur. *L. 39, de Re iudicata.* Atque saepe illi  
ipsi, qui diffent, executio negotii aut elaboratio decreti contra ipsius  
voluntatem facili committitur. Improbum foret id detrectare. Prae-  
stat obsequi, & aduersam ei, quam forassim alio tempore proposuisti, sen-  
tentiam tueri. Singulos, enim, ut mirifice PLINIUS Lib. VI. Ep. 15 ait,  
integra re, dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuit, cunctis ruen-  
dum. CATONEM UTICENSEM imitari oportet, qui, ut est apud  
PLVTARCHVM in Vita eius, legi de redigenda in prouinciae formam  
Cypri & publicanda pecunia regia uehementer se oppofuit, at, ubi ea  
perlata, & expeditio ipsi commissa esset, hanc, ut bonum ciuum de-  
cer, fusciper feliciterque confecit.

\* 1 ) 0 ( \* \*

65 717

AB: 65717

X 2290245

VD 17







**DFG**

## **Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt**


Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

**PPN 153245727**

Avgvstini Leyseri In regis Poloniavm Et Principis Electoris Saxonis Avla  
Consiliarii ... De Uariationibvs Et Retractationibvs Ivreconsvltorvm Liber  
Singvlaris

Leyserus, Augustinus von (Lipsiae 1737)

**AB 65717 (13)**



153245727

Visual Library

